NICOLAI DV BOIS

Sacrarum Litterarum in Vniverſitate Lovanienſi

PROFESSORIS PRIMARII.

A D

Reverendos, Admodum, Clariſsimos, & quovis alio Titulo Inſignitos Dominos,

Q V I

Illuſtriſſimis Epiſcopis, nuper Lutetiæ Pariſiorum congregatis adjuncti ſunt, ſeu à Conſiliis fuerunt.

CONSVLTATIONES THEOLOGICO-JVRIDICÆ.

LEODII,

Apud HENRICVM HOVYOVX.

Cum Superiorum Licentia & Approbatione.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆMONITIO
AD
LECTOREM.

JUdicavi, Domine LECTOR, pro informatione Tua, & eorum quæ in hiſce deduco Conſultationibus, ob multiplicitatem citationum futuris forſan lectu tædioſis, rogandum te, ut ſingularem illorum ad quos ſcribo doctrinam velis uno intuitu percurrere, quam expreſſi in *Capitularibus* Conſultatione X. & ultima. Hæc ubi percurreris, lege Declarationem ipſorum, quam exhibeo pag. 4. 5. & 6. cum Edicto Regio ab ipſis pro *Declarationis* executione impetrato. Et ut pariter uno intuitu poſſis videre materias quas tracto, ſubjungo Conſultationum capita. An rectè conſuluerim, an ex illorum doctrina non ſequantur dicta *Capitularia*, poteris ipſe judicare: libenter feram ſi quid corrigendum cenſueris, uti etiam ſi cenſuerit ſancta Sedes: cujus judicio omnia à me ſcripta, humillime ſubjeci hactenus, ſubmitto & cum gratia Dei ſubmittam.

Conſultationum tituli ſunt ſequentes:

I. *Nimis præcipitanter à vobis actum eſt. Ac ſub prætextu Gallicanæ conſuetudinis, Gallicana & totius Orbis Catholici conſuetudo violata eſt: ipſaque cauſa, ſi de authoritate illa poteſtatis Eccleſiaſticæ erat in Galliis contentio, erant omnes, aut ferè omnes ad Sedem Apoſtolicam referendæ, ejuſque judicium cum debita ſubmiſſione exſpectandum: adeoque ſupplendum eſt à vobis id quod eſt omiſſum.*

II. *Quam periculoſum ſit in materiis, de quibus nunc quæſtio, & ſimilibus invadere jura & authoritatem Sanctæ Sedis.*

III. *An nulli Principes Eccleſiaſticæ poteſtati ſubſint indirectè in temporalibus, & quanta debeat eſſe Gallis authoritas reprobatæ Synodi Baſileenſis, & Conſtantienſis.*

IV. *Authoritatem Sanctæ Sedis non eſſe reddendam odioſam vulgo per impoſturas.*

V. *Gravem injuriam intuliſtis omnibus Epiſcopis, eorum authoritati ac juriſdictioni, ipſiſmet veſtris Eccleſiis Cathedralibus. Ergo doctrina veſtra retractanda, aut longè aliter, quam ejus verba ſonant, explicanda.*

VI. *Expendere debitis plenius contextum* Joannis, *ex quo tranſcripſiſtis illud,* Regnum meum non eſt de hoc mundo.

VII. *Expendenda ſimiliter à vobis propinquiùs ſunt alia duo Scripturæ loca, quæ adfertis.*

*

VIII. *Videte*

Digitized by Google

VIII. *Videte quomodo ab Eccleſiis & Epiſcopis Gallicanis Eccleſiaſticæ authoritatis gladium aufertis, & confringitis, ac directè ſtatutis, conſuetudinibus, & Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus contravenitis.*

IX. *Expendite textum Matthæi cap. 18. & diſcutite, an non ex Iure Divino competat Eccleſiæ illa poteſtas, quam ſibi aſſeruerunt Epiſcopi Galliæ, citati in Conſultatione 8.*

X. *Perpendite an non ſpolietis Eccleſias jure directi Dominii in multis feudis.*

XI. *An doctrina veſtra ſit publicæ tranquillitati neceſſaria, nec minus Eccleſiæ quam Imperio utilis?*

XII. *Timendum vobis eſt, ne incideritis in excommunicationem, & conſequenter debetis petere abſolutionem, ut minimum eam, quam Canoniſtæ vocant* ad Cautelam.

XIII. *Inquirere vos oportet, an prima pars Proëmii Declarationis veſtræ non feriat vos ipſos.*

XIV. *Expendite de authoritate Sanctæ Sedis traditionem, ab initio Eccleſiæ Chriſti uſque ad veſtra tempora.*

XV. *Quid in hac perplexitate vos facere oporteat.*

XVI. *Quanta debeat eſſe apud vos authoritas Baſileenſis Conciliabuli, & data à paucis ſchiſmaticis Baſileæ remanentibus illa Conſtantienſis Concilii interpretatio, quam Articulo 2. veſtræ Declarationis amplectimini.*

XVII. *Videte ne dum authoritatem Conſtantienſis Concilii ultra debitum extollitis in Articulo 2. veſtræ Declarationis, primum ejuſdem penitus deſtruatis.*

XVIII. *Non eſſe imponendum plebi per falſam explicationem termini* ex Cathedra, *dum Theologi definitiones Pontificias* ex Cathedra *diſtingunt ab aliis.*

XIX. *Vtrum in Codicibus libertatis Eccleſiarum veſtrarum non rectè etiam inſcribentur ſequentia Capitularia, & addenda illis octo, quæ ſunt relata Conſultatione decima.*

Ad Reverendos

Digitized by Google

Ad Reverendos Admodum, Clariſsimos, & quovis alio Titulo Inſignitos Dominos, qui Illuſtriſsimis Galliæ Archi Epiſcopis, & Epiſcopis, nuper Lutetiæ Pariſiorum congregatis fuerunt adjuncti, ſeu à Conſiliis.

Conſultationes Theologico-Juridicæ.

PRÆFATIO.

Reverendi, Admodum &c. Domini, præcedens Opuſculum meum, ſeu *Diſquiſitionem Theologico-juridicam*, direxi ad Illuſtriſſimos Epiſcopos, ut ſaltem conſideratione illorum, quæ inquirendo deduxi, poſſent deprehendere non uſquè adeo certa eſſe, quæ per ipſos, & voſmet (video enim vos etiam ſubſcripſiſſe) decreta ſunt. Nec dubito fuiſſe vos ab illis conſultos: utpote qui magis ſtudiis addicti ſcientiamque divinarum & humanarum Legum profitentes vel profeſſi, nec ita publicis negotiis, & oneribus (qualia ſunt Epiſcopalia) diſtracti, potiora habetis intellectus adjumenta ad controverſiarum diſcuſſionem, de qua dicti Archiepiſcopi, & Epiſcopi dicunt: *Nos, Archiepiſcopi & Epiſcopi Pariſiis de mandato Regio congregati Eccleſiam Gallicanam repræſentantes, una cum cæteris Eccleſiaſticis Viris nobiſcum deputatis, diligenti tractatu habito hæc facienda & declaranda eſſe duximus.*

Non dubito etiam vos, vel veſtrum aliquos, fore conſulendos ſuper iis, de quibus in priori Opuſculo diſputavi. Abſit enim, ut credam Viros tantos, vel nolle audire, ſi quid contra eorum decreta objiciatur & ab ipſis minus informatis, ad eoſdem plenius informandos quodammodo appelletur: vel certè ſi audiant aut legant, nolle revocari ad examen id quod ſtatuerunt: idemque de ſuis decretis ſentire, quod de Verbo Dei revelato divinitus,

 dixi,

Digitized by Google

dixit Paulus, *ad Galatas* 1. *Licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizatum eſt vobis, anathema ſit.*

Eàpropter Opuſculum præſens ad vos dirigo, partim aliqua eorum quæ in Diſquiſitione tetigi, latius & profundius propoſiturus, partim alia multa in eodem Opuſculo non tacta exactiori ſtudio veſtro expoſiturus; ut tandem vobis palam fiat quid pro Veritate, Religione, Eccleſiæ pace & animæ veſtræ ſalute (quæ rebus omnibus anteponenda eſt) conveniat vos reſpondere conſulentibus.

Ut vero Declarationis veſtræ textum, nec non edicti Regii, quod ſuper eà emanavit, habeatis ad manum, nec ſit opus de libro ad librum recurrere, utrumque hic adjungo, quibus addam poſtea de *Regalia*.

Cleri Gallicani de Eccleſiaſtica poteſtate Declaratio.

Eccleſiæ Gallicanæ decreta & libertates à Majoribus noſtris tanto ſtudio propugnatas, earumque fundamenta Sacris Canonibus & Patrum traditione nixa multi diruere moliuntur; nec deſunt qui earum obtentu Primatum Beati Petri ejuſque Succeſſorum Romanorum Pontificum à Chriſto inſtitutum, iiſque debitam ab omnibus Chriſtianis obedientiam, Sediſque Apoſtolicæ, in quâ fides prædicatur, & unitas ſervatur Eccleſiæ, reverendam omnibus gentibus Majeſtatem imminuere non vereantur. Hæretici quoque nihil prætermittunt quò eam poteſtatem, quâ pax Eccleſiæ continetur, invidioſam & gravem Regibus & populis oſtentent, iiſque fraudibus ſimplices animas ab Eccleſiæ Matris Chriſtique adeò communione diſſocient. Quæ ut incommoda propulſemus: Nos, Archiepiſcopi & Epiſcopi Pariſiis mandato Regio congregati Eccleſiam Gallicanam repræſentantes, unâ cum cæteris Eccleſiaſticis Viris nobiſcum deputatis, diligenti tractatu habito hæc facienda & declaranda eſſe duximus.

Primùm

Digitized by Google

I.

Primùm Beato Petro ejuſque Succeſſoribus Chriſti Vicariis ipſiſque Eccleſiæ rerum ſpiritualium & ad æternam ſalutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium, à Deo traditam poteſtatem; dicente Domino: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*; & iterum, *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari & quæ ſunt Dei Deo*, ac proinde ſtare Apoſtolicum illud, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt à Deo, ordinatæ ſunt. Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Reges ergo & Principes in temporalibus nulli Eccleſiaſticæ poteſtati Dei ordinatione ſubjici, neque authoritate clavium Eccleſiæ directè vel indirectè deponi, aut illorum ſubditos eximi à fide atque obedientiâ, ac præſtito fidelitatis ſacramento ſolvi poſſe, eamque ~~ſententiam publicæ tranquillitati neceſſariam, nec minus Eccleſiæ~~ quam Imperio utilem, ut Verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis conſonam omnino retinendam.

II.

Sic autem ineſſe Apoſtolicæ Sedi ac Petri Succeſſoribus Chriſti Vicariis rerum ſpiritualium plenam poteſtatem, ut ſimul valeant atque immota conſiſtant Sanctæ Oecumenicæ Synodi Conſtantienſis à Sede Apoſtolica comprobata, ipſoque Romanorum Pontificum ac totius Eccleſiæ uſu confirmata, atque ab Eccleſia Gallicana perpetua Religione cuſtodita decreta de authoritate Conciliorum Generalium, quæ ſeſſione quarta & quinta continentur, nec probari à Gallicana Eccleſia qui eorum decretorum, quaſi dubiæ ſint authoritatis, ac minus approbata, robur infringant aut ad ſolum ſchiſmatis tempus Concilii dicta detorquëant.

III.

Hinc Apoſtolicæ poteſtatis uſum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos & totius mundi reverentia conſecratos. Valere etiam regulas, mores & inſtituta à Regno & Eccleſia Gallicana recepta; Patrumque terminos manere inconcuſſos; atque id pertinere ad amplitudinem Apoſtolicæ Sedis, ut ſtatuta & conſuetu-

Digitized by Google

ſuetudines tantæ Sedis & Eccleſiarum conſenſione firmatæ propriam ſtabilitatem obtineant.

IV.

In fidei quoque quæſtionibus præcipuas Summi Pontificis eſſe partes, ejuſque decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinere, nec tamen irreformabile eſſe judicium niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.

V.

Quæ accepta à Patribus ad omnes Eccleſias Gallicanas atque Epiſcopos in Spiritu ſancto auctore præſidentes mittenda decrevimus; ut idipſum dicamus omnes, ſimuſque in eodem ſenſu & in eadem ſententia.

EDICT DU ROY.

Sur la Declaration faite par le Clergé de France, de ſes ſentimens touchant la puiſſance Eccleſiaſtique.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, à tous preſens & à venir, Salut. Bien que l'independance de noſtre Couronne de toute autre puiſſance que de Dieu, ſoit une verité certaine & inconteſtable, & établie ſur les propres paroles de Jesus-Christ, Nous n'avons pas laiſſé de recevoir avec plaiſir la Declaration que les Deputez du Clergé de France, aſſemblez par noſtre permiſſion en noſtre bonne Ville de Paris nous ont preſentée, contenant leurs ſentimens touchant la puiſſance Eccleſiaſtique; Et nous avons d'autant plus volontiers écouté la ſupplication que leſdits Deputez nous ont faite de faire publier cette Declaration dans noſtre Royaume, qu'étant faite par une Aſſemblée composé de tant de perſonnes également recommandables par leur vertu & par leur Doctrine, & qui s'em-

ployent

ployent avec tant de zele à tout ce qui peut eſtre avantageux à l'Egliſe & à noſtre ſervice, la ſageſſe & la moderation avec laquelle ils ont expliqué les ſentimens qu'on doit avoir ſur ce ſujet, peut beaucoup contribuer a confirmer nos ſujets, dans le reſpect qu'ils ſont tenus comme nous de rendre à l'autorité que Dieu a donnée à l'Egliſe, & à oſter en même temps aux Miniſtres de la Religion Pretenduë Reformée le pretexte qu'ils prennent des livres de quelques Autheurs pour rendre odieuſe la puiſſance legitime du chef viſible de l'Egliſe & du centre de l'unité Eccleſiaſtique. A CES CAUSES & autres bonnes & grandes conſiderations, à ce nous mouvans, aprés avoir fait examiner ladite Declaration en noſtre Conſeil, Nous par noſtre preſent Edit perpetuel & irrevocable, avons dit, ſtatué, & ordonné; diſons, ſtatuons, & ordonnons, Voulons & nous plaiſt, que laditte Declaration des ſentimens du Clergé ſur la puiſſance Eccleſiaſtique cy-attachée ſous le contreſeel de noſtre Chancellerie ſoit enregiſtrée dans toutes nos Cours de Parlement, Bailliages, Seneſchauſſées, Vniverſitez & Facultez de Theologie & de Droit Canon de noſtre Royaume, Païs, Terres & Seigneuries de noſtre obeïſſance.

I.

Défendons à tous nos Sujets, & aux Eſtrangers eſtans dans noſtre Royaume, Seculiers & Reguliers, de quelque Ordre, Congregation, & Societé qu'ils ſoient, d'enſeigner dans leurs Maiſons, Colleges & Seminaires, ou d'écrire aucune choſe contraire à la Doctrine contenue en icelle.

II.

Ordonnons que ceux qui ſeront dorénavant choiſis, pour enſeigner la Theologie dans tous les Colleges de châque Vniverſité, ſoit qu'ils ſoient Seculiers & Reguliers, ſoûſcriront ladite Declaration aux Greffes des Facultez de Theologie avant de pouvoir faire cette fonction dans les Colleges ou Maiſons Seculieres & Regulieres; Qu'ils ſe ſoûmettront à enſeigner la doctrine qui y eſt expliquée; & que les Syndics des Facultez de Theologie preſenteront aux Ordinaires des lieux, & à nos Procureurs

NICOLAI DV BOIS

Sacrarum Litterarum in Vniverſitate Lovanienſi

PROFESSORIS PRIMARII.

AD

Reverendos, Admodum, Clariſsimos, & quovis alio Titulo Inſignitos Dominos,

QVI

Illuſtriſſimis Epiſcopis, nuper Lutetiæ Pariſiorum congregatis adjuncti ſunt, ſeu à Conſiliis fuerunt.

CONSVLTATIONES THEOLOGICO-JVRIDICÆ.

LEODII,

Apud HENRICVM HOVTOVX.

Cum Superiorum Licentia & Approbatione.

Digitized by Google

PRÆMONITIO
AD
LECTOREM.

JUdicavi, Domine LECTOR, pro informatione Tua, & eorum quæ in hiſce deduco Conſultationibus, ob multiplicitatem citationum futuris forſan lectu tædioſis, rogandum te,ut ſingularem illorum ad quos ſcribo doctrinam velis uno intuitu percurrere, quam expreſſi in *Capitularibus* Conſultatione X. & ultima. Hæc ubi percurreris, lege Declarationem ipſorum, quam exhibeo pag. 4. 5. & 6. cum Edicto Regio ab ipſis pro *Declarationis* executione impetrato. Et ut pariter uno intuitu poſſis videre materias quas tracto, ſubjungo Conſultationum capita. An rectè conſuluerim, an ex illorum doctrina non ſequantur dicta *Capitularia*, poteris ipſe judicare: libenter feram ſi quid corrigendum cenſueris, uti etiam ſi cenſuerit ſancta Sedes: cujus judicio omnia à me ſcripta, humillime ſubjeci hactenus, ſubmitto & cum gratia Dei ſubmittam.

Conſultationum tituli ſunt ſequentes:

I. *Nimis præcipitanter à vobis actum eſt. Ac ſub prætextu Gallicanæ conſuetudinis, Gallicana & totius Orbis Catholici conſuetudo violata eſt: ipſaque cauſa, ſi de authoritate illa poteſtatis Eccleſiaſticæ erat in Galliis contentio, erant omnes, aut ferè omnes ad Sedem Apoſtolicam referendæ, ejuſque judicium cum debita ſubmiſſione exſpectandum: adeoque ſupplendum eſt à vobis id quod eſt omiſſum.*

II. *Quam periculoſum ſit in materiis, de quibus nunc quæſtio, & ſimilibus invadere jura & authoritatem Sanctæ Sedis.*

III. *An nulli Principes Eccleſiaſticæ poteſtati ſubſint indirectè in temporalibus, & quanta debeat eſſe Gallis authoritas reprobatæ Synodi Baſileenſis, & Conſtantienſis.*

IV. *Authoritatem Sanctæ Sedis non eſſe reddendam odioſam vulgo per impoſturas.*

V. *Gravem injuriam intuliſtis omnibus Epiſcopis, eorum authoritati ac juriſdictioni, ipſiſmet veſtris Eccleſiis Cathedralibus. Ergo doctrina veſtra retractanda, aut longè aliter, quam ejus verba ſonant, explicanda.*

VI. *Expendere debitis plenius contextum* Joannis, *ex quo tranſcripſiſtis illud,* Regnum meum non eſt de hoc mundo.

VII. *Expendenda ſimiliter à vobis propinquiùs ſunt alia duo Scripturæ loca, quæ adfertis.*

VIII. *Videte quomodo ab Eccleſiis & Epiſcopis Gallicanis Eccleſiaſticæ authoritatis gladium aufertis, & confringitis, ac directè ſtatutis, conſuetudinibus, & Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus contravenitis.*

IX. *Expendite textum Matthæi cap.* 18. *& diſcutite, an non ex Iure Divino competat Eccleſiæ illa poteſtas, quam ſibi aſſeruerunt Epiſcopi Galliæ, citati in Conſultatione* 8.

X. *Perpendite an non ſpolietis Eccleſias jure directi Dominii in multis feudis.*

XI. *An doctrina veſtra ſit publicæ tranquillitati neceſſaria, nec minus Eccleſiæ quam Imperio utilis?*

XII. *Timendum vobis eſt, ne incideritis in excommunicationem, & conſequenter debetis petere abſolutionem, ut minimum eam, quam Canoniſtæ vocant* ad Cautelam.

XIII. *Inquirere vos oportet, an prima pars Proëmii Declarationis veſtræ non feriat vos ipſos.*

XIV. *Expendite de authoritate Sanctæ Sedis traditionem, ab initio Eccleſiæ Chriſti uſque ad veſtra tempora.*

XV. *Quid in hac perplexitate vos facere oporteat.*

XVI. *Quanta debeat eſſe apud vos authoritas Baſileenſis Conciliabuli, & data à paucis ſchiſmaticis Baſileæ remanentibus illa Conſtantienſis Concilii interpretatio, quam Articulo* 2. *veſtræ Declarationis amplectimini.*

XVII. *Videte ne dum authoritatem Conſtantienſis Concilii ultra debitum extollitis in Articulo* 2. *veſtræ Declarationis, primum ejuſdem penitus deſtruatis.*

XVIII. Non *eſſe imponendum plebi per falſam explicationem termini* ex Cathedra, *dum Theologi definitiones Pontificias* ex Cathedra *diſtingunt ab aliis.*

XIX. *Vtrum in Codicibus libertatis Eccleſiarum veſtrarum non rectè etiam inſcribentur ſequentia Capitularia, & addenda illis octo, quæ ſunt relata Conſultatione decima.*

Ad Reverendos

Digitized by Google

Ad Reverendos Admodum, Clariſſimos, & quovis alio Titulo Inſignitos Dominos, qui Illuſtriſſimis Galliæ Archi Epiſcopis, & Epiſcopis, nuper Lutetiæ Pariſiorum congregatis fuerunt adjuncti, ſeu à Conſiliis.

Conſultationes Theologico-Juridicæ.

PRÆFATIO.

REverendi, Admodum &c. Domini, præcedens Opuſculum meum, ſeu *Diſquiſitionem Theologico-Iuridicam*, direxi ad Illuſtriſſimos Epiſcopos, ut ſaltem conſideratione illorum, quæ inquirendo deduxi, poſſent deprehendere non uſquè adeo certa eſſe, quæ per ipſos, & voſmet (video enim vos etiam ſubſcripſiſſe) decreta ſunt. Nec dubito fuiſſe vos ab illis conſultos: utpote qui magis ſtudiis addicti ſcientiamque divinarum & humanarum Legum profitentes vel profeſſi, nec ita publicis negotiis, & oneribus (qualia ſunt Epiſcopalia) diſtracti, potiora habetis intellectus adjumenta ad controverſiarum diſcuſſionem, de qua dicti Archiepiſcopi, & Epiſcopi dicunt: *Nos, Archiepiſcopi & Epiſcopi Pariſiis de mandato Regio congregati Eccleſiam Gallicanam repræſentantes, una cum cæteris Eccleſiaſticis Viris nobiſcum deputatis, diligenti tractatu habito hæc facienda & declaranda eſſe duximus.*

Non dubito etiam vos, vel veſtrum aliquos, fore conſulendos ſuper iis, de quibus in priori Opuſculo diſputavi. Abſit enim, ut credam Viros tantos, vel nolle audire, ſi quid contra eorum decreta objiciatur & ab ipſis minus informatis, ad eoſdem plenius informandos quodammodo appelletur: vel certè ſi audiant aut legant, nolle revocari ad examen id quod ſtatuerunt: idemque de ſuis decretis ſentire, quod de Verbo Dei revelato divinitus,

 dixi,

dixit Paulus, *ad Galatas* 1. *Licet nos aut Angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizatum eſt vobis, anathema ſit.*

Eapropter Opuſculum præſens ad vos dirigo, partim aliqua eorum quæ in Diſquiſitione tetigi, latius & profundius propoſiturus, partim alia multa in eodem Opuſculo non tacta exactiori ſtudio veſtro expoſiturus; ut tandem vobis palam fiat quid pro Veritate, Religione, Eccleſiæ pace & animæ veſtræ ſalute (quæ rebus omnibus anteponenda eſt) conveniat vos reſpondere conſulentibus.

Ut vero Declarationis veſtræ textum, nec non edicti Regii, quod ſuper eà emanavit, habeatis ad manum, nec ſit opus de libro ad librum recurrere, utrumque hic adjungo, quibus addam poſtea de *Regalia*.

Cleri Gallicani de Eccleſiaſtica poteſtate Declaratio.

ECcleſiæ Gallicanæ decreta & libertates à Majoribus noſtris tanto ſtudio propugnatas, earumque fundamenta Sacris Canonibus & Patrum traditione nixa multi diruere moliuntur; nec deſunt qui earum obtentu Primatum Beati Petri ejuſque Succeſſorum Romanorum Pontificum à Chriſto inſtitutum, iiſque debitam ab omnibus Chriſtianis obedientiam, Sediſque Apoſtolicæ, in quâ fides prædicatur, & unitas ſervatur Eccleſiæ, reverendam omnibus gentibus Majeſtatem imminuere non vereantur. Hæretici quoque nihil prætermittunt quò eam poteſtatem, quâ pax Eccleſiæ continetur, invidioſam & gravem Regibus & populis oſtentent, iiſque fraudibus ſimplices animas ab Eccleſiæ Matris Chriſtique adeò communione diſſocient. Quæ ut incommoda propulſemus: Nos, Archiepiſcopi & Epiſcopi Pariſiis mandato Regio congregati Eccleſiam Gallicanam repræſentantes, unâ cum cæteris Eccleſiaſticis Viris nobiſcum deputatis, diligenti tractatu habito hæc facienda & declaranda eſſe duximus.

Primùm

I.

Primùm Beato Petro ejuſque Succeſſoribus Chriſti Vicariis ipſiſque Eccleſiæ rerum ſpiritualium & ad æternam ſalutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium, à Deo traditam poteſtatem, dicente Domino: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, & iterum, *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari & quæ ſunt Dei Deo*, ac proinde ſtare Apoſtolicum illud, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Itaque qui poteſtati reſiſtit; Dei ordinationi reſiſtit.* Reges ergo & Principes in temporalibus nulli Eccleſiaſticæ poteſtati Dei ordinatione ſubjici, neque authoritate clavium Eccleſiæ directè vel indirectè deponi, aut illorum ſubditos eximi à fide atque obedientiâ, ac præſtito fidelitatis ſacramento ſolvi poſſe, eamque ~~ſententiam publicæ tranquillitati neceſſariam, nec minus Eccleſiæ~~ quam Imperio utilem, ut Verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis conſonam omnino retinendam.

II.

Sic autem ineſſe Apoſtolicæ Sedi ac Petri Succeſſoribus Chriſti Vicariis rerum ſpiritualium plenam poteſtatem, ut ſimul valeant atque immota conſiſtant Sanctæ Oecumenicæ Synodi Conſtantienſis à Sede Apoſtolica comprobata, ipſoque Romanorum Pontificum ac totius Eccleſiæ uſu confirmata, atque ab Eccleſia Gallicana perpetua Religione cuſtodita decreta de authoritate Conciliorum Generalium, quæ ſeſſione quarta & quinta continentur, nec probari à Gallicana Eccleſia qui eorum decretorum, quaſi dubiæ ſint authoritatis ac minùs approbata, robur infringant aut ad ſolum ſchiſmatis tempus Concilii dicta detorqueant.

III.

Hinc Apoſtolicæ poteſtatis uſum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos & totius mundi reverentia conſecratos. Valere etiam regulas, mores & inſtituta à Regno & Eccleſia Gallicana recepta; Patrumque terminos manere inconcuſſos; atque id pertinere ad amplitudinem Apoſtolicæ Sedis, ut ſtatuta & conſuetu-

ſuetudines tantæ Sedis & Eccleſiarum conſenſione firmatæ propriam ſtabilitatem obtineant.

I V.

In fidei quoque quæſtionibus præcipuas Summi Pontificis eſſe partes, ejuſque decreta ad omnes & ſingulàs Eccleſias pertinere, nec tamen irreformabile eſſe judicium niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.

V.

Quæ accepta à Patribus ad omnes Eccleſias Gallicanas atque Epiſcopos in Spiritu ſancto auctore præſidentes mittenda decrevimus; ut idipſum dicamus omnes, ſimuſque in eodem ſenſu & in eadem ſententia.

EDICT DU ROY.

Sur la Declaration faite par le Clergé de France, de ſes ſentimens touchant la puiſſance Eccleſiaſtique.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, à tous preſens & à venir, Salut. Bien que l'independance de noſtre Couronne de toute autre puiſſance que de Dieu, ſoit une verité certaine & inconteſtable, & établie ſur les propres paroles de JESUS-CHRIST, Nous n'avons pas laiſſé de recevoir avec plaiſir la Declaration que les Deputez du Clergé de France, aſſemblez par noſtre permiſſion en noſtre bonne Ville de Paris nous ont preſentée, contenant leurs ſentimens touchant la puiſſance Eccleſiaſtique; Et nous avons d'autant plus volontiers écouté la ſupplication que leſdits Deputez nous ont faite de faire publier cette Declaration dans noſtre Royaume, qu'étant faite par une Aſſemblée composé de tant de perſonnes également recommandables par leur vertu & par leur Doctrine, & qui s'employent

ployent avec tant de zele à tout ce qui peut eſtre avantageux à l'Egliſe & à noſtre ſervice, la ſageſſe & la moderation avec laquelle ils ont expliqué les ſentimens qu'on doit avoir ſur ce ſujet, peut beaucoup contribuer a confirmer nos ſujets, dans le reſpect qu'ils ſont tenus comme nous, de rendre à l'autorité que Dieu a donnée à l'Egliſe, & à oſter en même temps aux Miniſtres de la Religion Pretenduë Reformée le pretexte qu'ils prennent des livres de quelques Autheurs pour rendre odieuſe la puiſſance legitime du chef viſible de l'Egliſe & du centre de l'unité Eccleſiaſtique. A CES CAUSES & autres bonnes & grandes conſiderations, à ce nous mouvans, aprés avoir fait examiner ladite Declaration en noſtre Conſeil, Nous par noſtre preſent Edit perpetuel & irrevocable, avons dit, ſtatué, & ordonné; diſons, ſtatuons, & ordonnons, Voulons & nous plaiſt, que laditte Declaration des ſentimens du Clergé ſur la puiſſance Eccleſiaſtique cy-attachée ſous le contreſeel de noſtre Chancellerie ſoit enregiſtrée dans toutes nos Cours de Parlement, Bailliages, Senéchauſſées, Vniverſitez & Facultez de Theologie & de Droit Canon de noſtre Royaume, Païs, Terres & Seigneuries de noſtre obeïſſance.

I.

Defendons à tous nos Sujets, & aux Eſtrangers eſtans dans noſtre Royaume, Seculiers & Reguliers, de quelque Ordre, Congregation, & Societé qu'ils ſoient, d'enſeigner dans leurs Maiſons, Colleges & Seminaires, ou d'écrire aucune choſe contraire à la Doctrine contenue en icelle.

I I.

Ordonnons que ceux qui ſeront dorénavant choiſis, pour enſeigner la Theologie dans tous les Colleges de châque Vniverſité, ſoit qu'ils ſoient Seculiers & Reguliers, ſoûſcriront ladite Declaration aux Greffes des Facultez de Theologie avant de pouvoir faire cette fonction dans les Colleges ou Maiſons Seculieres & Regulieres; Qu'ils ſe ſoûmettront à enſeigner la doctrine qui y eſt expliquée; & que les Syndics des Facultez de Theologie preſenteront aux Ordinaires des lieux, & à nos Pro-

cureurs Generaux des copies deſdites ſoumiſſions ſignées par les Greffiers deſdites Facultez.

III.

Que dans tous les Colleges & Maiſons deſdites Vniverſitez où il y aura pluſieurs Profeſſeurs, ſoit qu'ils ſoient Seculiers ou Reguliers, l'un d'eux ſera chargé tous les ans d'enſeigner la Doctrine continuë en ladite Declaration; & dans les Colleges où il n'y aura qu'un ſeul Profeſſeur, il ſera obligé de l'enſeigner l'une des trois anneées conſecutives.

IV.

Enjoignons aux Syndics des Facultez de Theologie de preſenter tous les ans avant l'ouverture des Leçons aux Archeveſques ou Eveſques des Villes où elles ſont établies, & d'envoyer à nos Procureurs Generaux les noms des Profeſſeurs qui ſeront chargez d'enſeigner ladite Doctrine, & audits Profeſſeurs de repreſenter auſdits Prelats & à nos-dits Procureurs Generaux les Eſcrits qu'ils dicteront à leurs Ecoliers, lors qu'ils leur ordonneront de le faire.

V.

Voulons qu'aucun Bachelier, ſoit Seculier au Regulier, ne puiſſe eſtre d'orénavant Licentié, tant en Theologie qu'en Droit Canon, ny eſtre reçeu Docteur, qu'aprés avoir ſoûtenu ladite Doctrine dans l'une de ſes Theſes; dont il ſera apparoir à ceux qui ont droit de conferer ces Degrés dans les Vniverſitez.

VI.

Exhortons, & neanmoins Enjoignons à tous les Archeveſques & Eveſques de noſtre Royaume, Païs, Terres & Seigneuries de noſtre obeïſſance, d'employer leur autorité pour faire enſeigner dans l'étenduë de leurs Diocéſes la Doctrine contenuë dans ladite Declararion faite par leſdits Deputez du Clergé.

VII.

Ordonnons aux Doyens & Syndics des Facultez de Theologie de tenir le main à l'execution des preſentes, à peine d'en répondre en leur propre & privé nom.

Si donnons en mandement à nos Amez & Feaux les Gens tenans nos Cours de Parlement, que ces preſentes nos Lettres en forme d'Edit, enſemble ladite Declaration du Clergé, ils faſſent lire, publier & enregiſtrer aux Greffes de nos-dites Cours, & des Bailliages, Senéchauſſées & Vniverſitez de leurs reſſorts, chacun en droit ſoy, & ayent à tenir la main à leur obſervation, ſans ſouffrir qu'il y ſoit contrevenu directement ny indirectement, & à proceder contre les contrevenans en la maniere qu'ils le jugeront à propos, ſuivant l'exigence des cas. CAR tel eſt noſtre plaiſir. Et afin que ce ſoit choſe ferme & ſtable à toûjours, Nous avons fait mettre noſtre Seel à ces-dites preſentes. Donné à Saint Germain en Laye, au mois de Mars l'an de Grace 1682. & de noſtre Regne le trente-neuviéme. Signé, LOVIS. *Et plus bas.* Par le Roy. COLBERT. *Viſa*, LE TELLIER. Et ſcellées du du grand Sceau de cire verte.

CONSVLTATIO I.

Nimis præcipitanter à vobis actum eſt: ac ſub prætextu Gallicanæ Conſuetudinis, Gallicana & totius Orbis Catholici conſuetudo violata eſt: ipſaq; cauſa, ſi de authoritate illa poteſtatis Eccleſiaſticæ erat in Galliis contentio erant omnes, aut ferè omnes ad Sedem Apoſtolicam referendæ, ejuſdem judicium cum debita ſubmiſſione exſpectandum: adeoq; ſupplendum eſt à vobis id quod eſt omiſſum.

1. SIc Articulo tertio Declarationis dicitur: *Atque id pertinere ad amplitudinem Apoſtolicæ Sedis, ut ſtatuta & conſuetudines tantæ Sedis & Eccleſiarum conſenſione firmatæ propriam ſtabilitatem obtineant.*

Sanctæ Sedis Amplitudo illa fuit, etiam Eccleſiarum veſtrarum perpetua conſuetudine & conſenſione firmata, ut in materiis fidei & morum ad ſalutem neceſſariorum, Prælati conſulerent Sanctam Sedem & exſpectarent ejus judicium. Hoc ab ipſo naſcentis Eccleſiæ Chriſti exordio ad veſtra uſque tempora oſtendo breviter: non omnia, quæ quandocumque contigerunt (innumera enim ſunt) ſed ipſa ſæcula percurrendo, aliqua producturus.

2. Sæculo Chriſti ſecundo præfuit Eccleſiæ Eleutherius. Hic epiſtola ad Galliæ provincias, etiam de primi ſæculi uſu ferens teſtimonium, ita ſcribit: *De accuſationibus Clericorum, ſuper quibus conſulti ſumus, quia omnes eorum accuſationes difficile eſt ad Sedem Apoſtolicam deferre, finitiva Epiſcoporum tantum judicia huc deferantur, ut hujus Sanctæ Sedis auctoritate finiantur, ſicut ab Apoſtolis eorumq; Succeſſoribus, multorum conſenſu Epiſcoporum, jam definitum eſt.*

Hanc epiſtolam eſſe reſponſoriam ad conſultationem Epiſcoporum Viennenſis & Lugdunenſis teſtantur Scriptores, ac inter eos Baronius ad annum Chriſti 181. Vide Notas *Tomo 1. Conciliorum* ad ejus calcem inſertas.

3. Sæculo tertio Felicem Papam conſuluit Benignus Epiſcopus. Hic vero ita reſcripſit: *Suſcipientes Fraternitatis tuæ epiſtolas, quibus me requiſiſti ſuper fidei documentis, quæ ab aliis habebantur aliter, quam recta fidei contineant Sacramenta, prout Dominus dedit, pro fraternitatis amore reſpondere non reſultavimus. Semper enim dubia & majora negotia, terminum ab hac Sancta Sede, a tempore Apoſtolorum, qui eam ſuis documentis inſtruxerunt, accipere conſueverunt. Et ideo tu rectè feciſti, quod hujus Sanctæ Sedis conſultis, te cæteroſq; firmari & inſtrui voluiſti. Continebant enim literæ tuæ, fratrumq; tuorum, quod quidam dicunt, filium non poſſe propriè videre patrem, quia ſcriptum eſt*, Deum enim nemo vidit unquam. *Et alii fingunt*, ideo minor eſt patre filius, *quoniam pater illi perhibet teſtimonium.*

4. Sub initio ſæculi quarti Quæſtiones motas, ad Euſebium Pontificem retulerunt Epiſcopi Galliæ; quibus ille ita reſpondit: *Scripta Sanctitatis veſtræ cum magna gratiarum actione ſuſcepi, gaviſus ſcilicet de veſtra ſoſpitate, ſed contriſtatus nimis de veſtra oppreſſione. Quod ſignificaſtis enim, quid de converſis hæreticis fieri debuiſſet, ſcitote nos eos, qui in Sancta Trinitatis fide baptizati ſunt, per impoſitionem manus ſuſcipere. De accuſationibus vero Clericorum, ſuper quibus mandaſtis, ſcitote à tempore Apoſtolorum in hac Sancta Vrbe ſervatum eſſe, accuſatores & accuſationes, quas exterarum conſuetudinum leges non adſciſcunt, à Clericorum accuſatione ſubmotas.*

5. Sæculo quinto Exuperius Epiſcopus Toloſanus de ſeptem diverſis Articulis conſuluit Innocentium I. qui ad ſingulos daturus reſponſionem ſic orditur: *Dilectio tua inſtitutum ſecuta pruden-*

tium,

tium, ad Sedem Apoſtolicam referre maluit quid de rebus dubiis custodire deberet, potius quam uſurpatione præſumpta, quæ ſibi viderentur de ſingulis obtinere. Cur enim magis pudendum putemus diſcere aliquid quam omninò neſcire? Mihi quoque ipſi de collatione docilitas accedit, dum perſcrutatis rationibus ad propoſita reſpondere compellor. Eoq; fit ut aliquid ſemper addiſcat, qui poſtulatur ut doceat. Proponam igitur ſingula, ſubjiciamq; reſponſum. Propoſuiſti quid de his obſervari debeat, quos in Diaconi miniſterio, aut in officio Presbyterii poſitos, incontinentes eſſe, aut fuiſſe, generati filii prodiderunt, &c.

6. Similiter Ruſticus Narbonenſis Epiſcopus viginti Quæſtiones retulit ad S. Leonem I. quibus idem Pontifex reſpondit Epiſtola 92. idem fecerunt alii Prælati, de quibus in ejuſdem Leonis Epiſtolis.

7. Sæculi ſexti initio Symmachus Pontifex Cæſareo Arelatenſi Epiſcopo reſpondit: *Qui Veneranda Patrum ſtatuta cuſtodit, amicum ſe abſolutæ Religionis oſtendit; & qui providet ut locum exceſſibus non relinquat, demonſtrat ſe de bono gratiæ cogitare. Rationabile eſt, ut Sancta Arelatenſis Eccleſia propriis perfruatur; & quod vetuſtas præſtitit, & Patrum auctoritas roboravit, nova non debet violare præſumptio: ſic tamen ut cæterarum Eccleſiarum privilegia temporibus acquiſita non titubent: quia nec poteſt ex parte firmum eſſe, quod generalitatis tangit injuriam. Manentibus ſiquidem his, quæ Patrum Conſtituta ſingulis Eccleſiis conceſſerunt, decernimus, ut circa ea, quæ tam in Galliæ, quam Hiſpaniæ Provinciis de cauſa Religionis emerſerint, ſolertia tuæ fraternitatis invigilet: & ſi ratio popoſcerit præſentiam Sacerdotum, ſervata conſuetudine, unuſquiſque tuæ dilectionis admonitus auctoritate conveniat. Et ſi Dei adjutorio controverſia incidens amputari potuerit, ipſius hoc meritis applicemus: alioquin exiſtentis negotii qualitas ad Sedem Apoſtolicam te referente perveniat: ut cunctis ordine ſuo peractis, unde inimicus bonitatis ſibi blandiatur, locum invenire non poſſit.*

8. Similiter Avitus Viennenſis Epiſcopus de rebus, quæ fidem concernebant conſuluit Hormiſdam, qui Epiſtola decima reſpondit: *Qui de his, quæ ad diſciplinam Catholicam pertinent maximè ſciens inſtrui cupit, quid ſtudii circa mandata divina habeat evidenter oſtendit. Non enim poteſt eſſe hujuſmodi cura, niſi ubi fides fuerit infucata. Atque ideo exultamus in Domino de ſinceritate propoſiti tui, dilectiſſime Frater,*

dum te ſecundùm directas per Alexium Presbyterum atque Venantium Diaconum literas intuemur, at de impiis transgreſſoribus Eutychete atque Neſtorio Sedis Apoſtolicæ conſtituta recolere, & ſi quid adverſus eos admonitio noſtra promoverit, per quos Orientales Eccleſiæ confunduntur, inquirere. digna planè ſolicitudo fidelibus, ut de miſerorum lapſibus ingemiſcant. & ipſi ne aliena polluantur contagione provideant. Sed ne nos quidem hoc ſuperſediſſe credatis, ut ad notitiam veſtram ſi quid actum fuiſſet, competens perferret inſtructio.

9. Sub finem ſæculi ſexti & initium ſeptimi vixit Gregorius Papa I. Hic ſicuti à plurimis aliarum orbium partium Epiſcopis, ita etiam à Gallis fuit conſultus, Ejuſque reſponſales Epiſtolæ extant plurimæ, libris duodecim comprehenſæ.

10. Sæculo octavo S. Bonifacius qui etiam plures Galliæ partes illuſtravit, Decreta ſua retulit ad Zachariam Pontificem & ab eodem, ſi juſta viderentur, confirmari petiit. Id conſtat ex Codice Canonum B. Iſaac Lingonenſis Epiſcopi, in quo hæc leguntur.

"Ego Iſaac indignus Lingonenſis Epiſcopus, propter quorundam minus acquieſcentium deſidiam, & querelam contra Paſtoralem ſolicitudinem, atque improborum inſolentiam, qui omnia, quæ ad emendationem vel ad ſuam cautelam dicuntur, à nobis ficta & excogitata garriunt & inventa, utile duximus, quædam ſaluberrimarum Capitula Sanctionum, quæ Sanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Legatus Bonifacius Venerabilis Moguntiacenſis Archi-Epiſcopus Zachariæ Papæ, una cum orthodoxo Karlomanno Francorum Principe in duobus Epiſcoporum Conciliis ad honorem & profectum Eccleſiæ Dei conſcripſit, quæque etiam idem Papa Zacharias ſub anno Incarnationis Dominicæ D. CC. XLII. auctoritate Apoſtolica confirmavit.

11. Sæculo nono mota eſt in Concilio Aquiſgranenſi, in quo plurimi intererant Galliæ Prælati, quæſtio de proceſſione Spiritus S. aliiſque gravibus cauſis. Cenſuit Concilium nihil eſſe inconſultâ Sancta Sede terminandum: ſed ad Leonem III. qui ſummum Pontificatum gerebat, quæſtiones eſſe remittendas. Qua de re ita ſcribit Ado Viennenſis in Chronico: *Synodus magna Grani Aquis congregatur anno Incarnationis Domini D. CCC. IX. in qua Synodo de pro-*

de proceſſione Spiritus S. quæſtio agitatur, utrùm ſicut procedit à Patre, ita procedat à Filio. Hanc quæſtionem Ioannes Monachus Hieroſolymitanus moverat, cum regula & Fides Eccleſiaſtica firmet Spiritum S. à Patre & Filio procedere, non creatum, non genitum, ſed Patri & Filio coæternum & conſubſtantialem. Nomen autem proceſſionis à Patre & Filio in Apocalypſi ita apertè eſt poſitum: Et oſtendit mihi (*haud dubium quin Angelus*) flumen aquæ vitæ, ſplendidum tamquam cryſtallum, procedens de Sede Dei & Agni. *In eadem etiam Synodo quæſitum eſt & ventilatum de ſtatu Eccleſiarum, & ordine ſingularum, cujuſque converſationis etiam Clerici eſſe debent.*

De legatione verò ita ſcribit Abbas Regino, *anno* 809. *Imperator* (is erat Carolus Magnus) *de Arduenna Aquas reverſus menſe Novembri Concilium de proceſſione Spiritus S. habuit. Quam quæſtionem Ioannes quidam Monachus Hieroſolymis primo commovit. Cujus definiendæ cauſa Bernarius Epiſcopus Wormatienſis, & Adalardus Abbas Monaſterii Corbeiæ Romam ad Leonem Papam miſſi ſunt. Agitatum eſt etiam in eodem Concilio de ſtatu Eccleſiarum, & converſatione eorum, qui in eis Deo ſervire dicuntur. Nec aliquid tamen definitum eſt, propter rerum, ut videbatur, magnitudinem.*

12. Eodem ſæculo, quomodo ſimiliter ſe geſſerint Britanniæ Epiſcopi docet Epiſtola Leonis IV. his verbis: *Quanto ſtudio quantaque ſolertia gregem vobis à Domino commiſſum paſcitis, diviniſq; fovetis eduliis, nobis directæ ſcripta reſerarunt. Unde non modica exultatione congratulor, & tantarum ambiguitatem indagatione lætificatus, à timore negligentiæ, qui me illius regionis in infimis deprimebat, quaſi à gravi languore relevatus, & utpote ſanus licet omni ſalute captus, magis animo ſoſpes ſurrexi, quam corpore. Quia cum quoſdam Laicorum in Eccleſiaſticis cognoveram curis præpollere, & ſtudioſo animo ab illorum reſpondere vigilantiis cogererer, nihil aliud vos, qui divinis negotiis & Eccleſiaſticis ſorte veniſtis, quam crederem dormitare: nunc divina gratia hi confratres noſtri, videlicet talium, & tales Eccleſiarum Præſules, ad nos perducti & cogniti, magis ſecurus nunc duro, quam antea. Legationem denique communem omnium Epiſcoporum reverendiſſimorum nobis propoſitam delinquentes, requiritis de his qui turpiſſimo lucro columbas in templo Domini vendere non pertimeſcunt, & ſua acta improba temeritate Simonis hæreſi conjungunt, utrum poſſint in ordine pœnitentiam agere, aut tantummodo extra ordinem & Sacerdotalem fieri gradum.*

 13. Plu-

13. Plurimæ aliæ reperiuntur hoc ſæculo Epiſcoporum etiam Galliæ factæ relationes ad Benedictum III. Nicolaum I. Hadrianum II. in ipſis Conciliorum tomis expreſſæ.

14. Adeamus ſæculum decimum. In hoc Heriveus Rhemenſis Archi-Epiſcopus Joannem IX. conſuluit qualiter agendum eſſet cùm Northmannis recenter ad fidem converſis, quorum alii baptizati fuerant & rebaptizati, poſt Baptiſmum gentiliter vixerant: Heriveo ita reſpondit Pontifex: "Quod de his veſtra nobis ,, innotuit fraternitas, quid agendum ſit, quod fuerint baptizati, ,, & rebaptizati, & poſt baptiſmum gentiliter vixerint, atque Paganorum more Chriſtianos interfecerint, Sacerdotes trucidaverint, atque ſimulacris immolantes, idolothyta comederint: ſi quidem ſi Tyrones ad fidem non forent, canonica experirentur ,, judicia. Vnde quia ad fidem rudes ſunt, veſtro utique libramini, veſtræque cenſuræ committimus experiendos, qui & illam gentem veſtris confiniis vicinam habentes, ſtudioſè advertere, & illius mores, actuſque omnes pariter & converſationem agnoſcere præ cæteris valeatis. Quod enim mitius agendum ſit cum eis, quam ſacri cenſeant Canones, veſtra ſatis cognoſcit induſtria, ne fortè inſueta onera portantes, importabilia ,, illis fore, quod abſit, videantur; & ad prioris vitæ veterem, ,, quem exſpoliaverant, hominem, antiquo inſidiante adverſario relabantur.

15. Sæculo undecimo graves in Gallia & Hiſpania exortæ erant contentiones & quæſtiones in materia ſimoniæ & aliis. Victorem II. Pontificem Epiſcopi nonnulli quid agere & decernere deberent, conſuluerunt. Quid verò ille cenſuerit conſtat ex Concilio Toloſano ejuſdem ſæculi ſeu anni 1055. in cujus præfatione hæc dicuntur: "Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quinquageſimo ſexto, idibus Septembris, habita eſt Sancta Synodus decem & octo Epiſcoporum apud Urbem Toloſam, juſſu Domni Papæ Victoris, qui ob funditus extirpandam Simoniacam hæreſim, ac reparandum Sanctæ Eccleſiæ ſtatum ſecundùm priſcorum ſcita Canonum, vicarios vice ſua direxit Rambaldum Arelatenſem, & Pontium Aquenſem Archi- ,, Epiſcopos, qui adjuncto ſibi Wifredo Dei gratia Narbonenſi

,, Archi-

„ Archi-Epiſcopo, aliiſque co-Epiſcopis cæterarum Urbium, „ S. Petri auctoritate & prænominati Papæ juſſione, Sanctorum „ Patrum ſtatuta ſequentes hæc in Provinciis Galliæ atque Hiſpaniæ perpetim obſervanda æſtimaverunt".

16. Sæculo duodecimo præfuerunt Eccleſiæ Summi Pontifices Alexander III. Urbanus III. &c. non omiſerunt illius temporis Epiſcopi graviores cauſas referre ad S. Sedem, & ejuſdem exſpectare judicium. Sic fecit Cœnomanenſis, cui Alexander III. *in cap.*1. ✠ *de Clericis peregrinis* ita reſpondit:

"Tua nos duxit fraternitas conſulendos, quid ſit agendum de „ Clericis qui in remotis regionibus ordinati, literas eorum „ oſtendunt, à quibus ſibi proponunt manus impoſitas: & utrum „ Epiſcoporum ſigilla ſint, quæ repræſentant, incertum exiſtit. „ Tuæ igitur conſultationi reſpondemus, tutius eſſe ut in his ſta- „ tuta Patrum veterum obſerventur, quam novum aliquid ſtatua- „ tur. Statutum autem eſt de tranſmarinis, ut ad minus quinque „ Epiſcoporum ſuper ordinatione ſua teſtimonio muniantur: „ quod in aliis (ubi ſimiliter ſunt incogniti) credimus obſer- „ vandum; ità tamen ut in ſuſpenſione aliquanto tempore ha- „ beantur, in quo plenius de actibus inſtruantur ipſorum. Sed „ & de inferioribus ordinibus inquiri oportet, quia poſſet con- „ tingere, ut aliquibus prætermiſſis ſaltum feciſſent. His autem peractis, ſi digni inventi fuerint, circa eos poterit diſpenſari".

17. Idem fecit Archi-Epiſcopus Rothomagenſis, cui idem Alexander *in cap.* 3. *Qui filii ſint legitimi* reſcripſit in hunc modum:

"Tranſmiſſæ nobis tuæ literæ continebant, quod cum N. uſ- „ que ad juventutem quemdam nutriviſſet, uxore ſua M. tunc „ non deſponſata ſibi cohabitante poſtmodum ipſam legitimè „ deſponſavit, & filios ſuſtulit ex eadem; quibus paternam hæ- „ reditatem petentibus, prædictus juvenis contradicit gerens ſe „ filium & hæredem, quamvis à vicinia, quæ ipſum filium eorum „ eſſe credebat, ſpurius diceretur: prædicti verò N. & uxor ejus „ præfatum juvenem ſpurium ſuum, aut legitimum filium eſſe „ negabant, ſed dicebant, quod eum pietatis intuitu nutriviſſent. „ Cum autem quæſtio coram te mota eſſet, & prædictus juvenis „ pro eo, quod juri ſtare nolebat, vinculo fuit excommunicationis

aſtri-

Digitized by Google

„aſtrictus: conſultationi tunc reſpondemus quod in tali caſu „ſtandum eſt verbo viri & mulieris: niſi certis indiciis & te-„ſtibus ſibi conſtiterit eſſe filium juvenem memoratum.

18. Item Archi-Epiſcopus Senonenſis ut conſtat ex *cap.* 1. ꝵ *de ſententia excommunicationis*, in quo hæc leguntur:

"Super eo verò quod conſilium poſtulaſti. Reſpondemus: „quod ſi Clerici infra puberes annos ſe ad invicem, aut unus al-„terum percuſſerit, non ſunt ad Apoſtolicam Sedem mittendi; „quia eos ætas excuſat. Nec Clerici ſi ſunt plenæ ætatis, & non „odio vel invidia vel indignatione, ſed levitate jocoſa ſe ad in-„vicem percutere contingat, neque Magiſter ſi ſcholarem Cle-„ricum intuitu diſciplinæ vel correctionis percuſſerit: quia non „poteſt in ipſis injectio manuum violenta notari. Cæterum ſi „ex odio iidem ſcholares vel ſæculares Clerici ſeſe percuſſerint, pro ſua abſolutione debent ad Apoſtolicam Sedem venire".

19. Pleni ſunt libri quinque Decretalium conſultationibus ejuſmodi, & reſponſis: quæ à Rev. admodum DD. veſtris poſſunt nullo negotio inveniri. Tranſeo proindè ad ſeculum XIII. in quo inter cæteros, Chriſti Vicariatum geſſerint Innocentius III. & Honorius III. ad quos quomodo ſimiliter recurſum in gravioribus cauſis habuerint Galliæ Epiſcopi docent Canones multi, quorum aliquos ſubjungo.

In *cap.* 11. ꝵ *de ætate & qualitate* Archi-Epiſcopo Rothomagenſi dicitur;

" Cum contingat interdum, quod Laici ad Monaſteria convo-„lantes à ſuis Abbatibus tonſurentur: requiſiti, an Clericatus „ordo in tonſura hujuſmodi conferatur Super hoc tibi reſpon-„demus quod cum in 7. Synodo ſit ſtatutum, ut Lectores per „manus impoſitionem licentia ſit unicuique Abbati in proprio „Monaſterio ſolummodo faciendi, dummodo ipſis ab Epiſcopo „(ſecundùm morem præficiendorum Abbatum) manus impoſitio facta noſcatur, & conſtet eum exiſtere Sacerdotem", &c.

Ex *cap.* 13. ꝵ *de foro competenti* ab Epiſcopo Belvacenſi quæſtionem ad Sanctam Sedem relatam eſſe probatur evidenter, dum dicitur.

" Cum contingat interdum &c. Inſuper poſtulaſti, an cum „aliqui

Digitized by Google

„ aliqui Clerici deputati ſervitio Capituli Belvac. aut aliorum „ Clericorum tuæ Diœceſis ſuper exceſſibus impetuntur, ſint co- „ gendi coram te, vel potius coram illis, quibus ſerviunt, quere- „ lantibus reſpondere, cum illi ſibi juriſdictionem hujuſmodi vin- „ dicare contendant, licet illos excommunicare non valeant, vel „ alias etiam coërcere. Super quo taliter reſpondemus, quod „ ad te (utpote ordinarium) de talibus debent conquerentes, „ habere recurſum: maximè ſi ſuper his impetuntur, quæ in tua „ noſcuntur diœceſi commiſiſſe. Niſi fortè hi, quibus delinquen- „ tes ipſi deſerviunt, ex indulgentia vel conſuetudine ſpeciali ju- „ riſdictionem hujuſmodi valeant ſibi vindicare.

Vti etiam ab Archi-Epiſcopo Lugdunenſi, ex *cap.* 14. ꝟ. *de converſione conjugatorum*, ſic enim reſpondet Innocentius III.

Ex parte tua eſt intimatum, quod cum quædam mulier velum viduitatis coram duobus Abbatibus aſſumpſiſſet, benedictione ſolemni, cum celebratione Miſſæ ac Litaniæ (ſicut debuit) accedente, quidam nobilis proponebat ſe prius mulierem ipſam mediantibus internuntiis per verba de præſenti, arrâ etiam interpoſitâ, deſponſaſſe. At illa ſe in illum conſenſiſſe confeſſa, dixit, quod audierat eum eſſe lepra percuſſum: & ob hoc ejus fuerit abominata complexus. Nos autem inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, &c.

20. Eandem Galliæ ſicut cæterarum Orbis partium conſuetudinem de rebus, quæ graviores videbantur, conſulendi S. Sedem, ſecutus eſt Archi-Epiſcopus Arelatenſis, cui idem Pontifex ita reſcripſit:

"Cum apud Sedem Apoſtolicam, &c. ſanè conſuluiſti nos, „ utrum mutus & ſurdus alicui poſſint matrimonialiter copulari. „ Ad quod taliter reſpondemus, quod cum prohibitorium ſit edi- „ ctum de Matrimonio contrahendo, ut quicunque non prohibe- „ tur per conſequentiam admittatur, & ſufficiat ad Matrimonium „ ſolus conſenſus illorum, de quorum conjunctionibus agitur, „ videtur, quod ſi talis velit contrahere, ſibi non poſſit vel debeat denegari, Cum quod verbis non poteſt, ſignis valeat declarare".

21. Sæculo decimoquarto Prælati & Rectores Eccleſiarum tam Galliæ, quam aliarum orbis partium, ad Joannem XXII. recurrerun

currerunt adversùs Regulares mendicantes pro obtinenda interpretatione conſtitutionum Bonifacii VIII. & Clementis V. quas dicebant infringi à dictis religioſis, hoc ipſum negantibus. Ac indè emanavit ejuſdem Joannis conſtitutio quæ incipit *frequenter.* Similiter ad Benedictum 12. recurrerunt Galli in materia *procurationum & exactionum*, de qua in cap. *unico de cenſibus, exactionibus, & procurationibus.* Cujus textus prima pars, eaque ſatis ampla, Galliam, Delphinatum, Burgundiam & Provinciam concernit.

22. Hoc ſæculo ſecutum eſt graviſſimum illud ſchiſma pluribus de Pontificatu contendentibus, quod nonniſi ſæculo decimo quinto per Conſtantienſe Concilium fuit ſopitum, electo tunc in Summum Pontificem Martino V. Sed non diu pacem habuit Eccleſia: nam Galli in Conciliabulo Bituricenſi ſecuti aliquot rebelles, Baſileæ perſeverantes, de quibus infra, novum ſchiſma ſuſcitarunt, quod demum ſæculo 16. per Lateranenſe Concilium ſub Leone X. fuit extinctum.

Ad hoc Lateranenſe Concilium delatæ ſunt controverſiæ quæ erant de Montibus pietatis & aliæ, etiam per Galliæ Prælatos, & ibidem terminatæ.

23. Paulò poſt eodem ſeculo 16. ſecutum eſt Tridentinum Concilium ad quod non tantum Lutheranæ, ſed etiam Calvinianæ (quæ maximè Galliam infeſtabant) delatæ ſunt hæreſes. Proinde non mirum, ſi pro tempore ſchiſmatum & Generalium Conciliorum, non ita occurrant conſultationes Prælatorum Galliæ ad ipſum Chriſti Vicarium, ſicuti temporibus præcedentibus. Verum quod Gallia permanſerit in eodem ſenſu referendi ſcilicet ad eundem Chriſti Vicarium (quando eſt indubitatus, nec eſt Generale Concilium congregatum) quæſtiones graviores *de fide & religione*, docent acta hujus ſæculi 17. quo contentiones occaſione libri Janſenii exortas retulerunt Galli tam ad Innocentium X. quam ad Alexandrum VII. eorumdemque judicium & definitionem poſtularunt, ſicuti etiam retulit illas, quas cum Religioſis habebat, Andegavenſis Epiſcopus, & antea ad Urbanum VIII. ſcripſerant Archi-Epiſcopi & Epiſcopi aliquot pro approbatione libri Abbatis Sancyrani, qui prodierat ſub nomine Antoni Arnaldi cum titulo *de la frequente communion*: Sed approbatio minimè eſt ſecuta.

24. Cum

24. Cum ergo Domini Confratres mei (patiemini quod ita vos compellem; ſcribo enim Theologus Theologis, Juriſconſultus Juriſconſultis, Canonicus Canonicis; Et, ſi non alicujus Prælati Conſiliarius domeſticus, multis tamen & à longo tempore per varias conſultationes à Conſiliis) materiæ quæ in actis veſtris continentur, tantæ ſint & tam graves, quales ſi unquam, uti patebit pleniùs in hujus Opuſculi decurſu, ac longe graviores, quam plurimæ aliæ, ſuper quibus Præceſſores Galliæ Prælati Sanctam Sedem conſulendam judicarunt; nonquid officii veſtri fuit Illuſtriſſimis Archiepiſcopis & Epiſcopis ſuadere ut eandem Sedem conſulerent, antequam quidquam determinarent? Et ſi aliquibus eorum non fuit ille ſenſus, nunquid tantis viris, quales vos eſtis, congruebat omnes ſtudii conatus adhibere, inquirendo in præcedentium temporum acta, in Doctrinam Scriptorum Galliæ à me in *diſquiſitione* citatorum, doctrinis veſtris planæ contrariam? Profitemini enim Articulo 2. *Declarationis, pertinere ad amplitudinem Apoſtolicæ Sedis ut Galliæ conſuetudines obtineant firmitatem.*

25 Obtineant igitur, & quod non ſatis matura conſideratione factum eſt, ut patebit in decurſu, à vobis emendetur: ac ſuſpenſo interim judicio ſuper iilis quæ concluſiſtis & decreviſtis, ſatagite, ut ad eandem Sedem acta veſtra referantur; ſingula ibi proponite, rationes exhibete, ſi habetis; judicium exſpectate. Hæc enim fuit hactenus Galliæ conſuetudo. Atque hoc à vobis tanquam à Catholicis viris omnino ſperandum. Nunquam eſt ſera pœnitentia quando vera. Alias an non meritò vobis ſit extimeſcendum, vos ipſi ex ſequenti conſultatione judicate.

CONSULTATIO II.

Qam periculoſum ſit in materiis, de quibus nunc quæſtio & ſimilibus, invadere jura & authoritatem S. Sedis.

26. NOta ſunt hiſtoricis acta Henrici IV. Imperatoris, quomodo res Eccleſiaſticas & jura S. Sedis invaſerit. Extant eâ de re plurima in Conciliorum tomis ſub ſæculo undecimo. Sed illa impunita Deus non reliquit. Impli-

cuerunt enim illum tot curæ & difficultates, teſte Carione in Henrico quarto, ut tandem ab omnibus deſertus, & Imperio exutus præ dolore obierit. Et cadaver ejus cum in loco ſacro fuiſſet ſepultum, exhumatum eſt, ac quinquennio inſepultum jacuit. Qui verò Henrici partes tuendas ſuſceperunt adverſus Gregorium ſeptimum, repentinis & horrendis exitiis vel aliis modis perierunt.

27. V. G. Wilhelmus Trajectenſis Epiſcopus præcipuus Henrici defenſor, repente graviſſima ægritudine correptus vociferari cæpit, *Iuſto Dei judicio ſe & præſentem vitam amiſiſſe & æternam*, eo quod Henrici partes contra Gregorium Virum Sanctiſſimum eſſet ſecutus, & ſic deſperans exſpiravit. Ita narrat Lambertus Schaffnaburgenſis *in chronico*, *& annales Magdeburgenſes apud Langium in chronico Citizenſi*. Pari modo ſubito malè perierunt Udo Trevirenſis Archipræſul, Burghardus Miſnenſis Præfectus, Godefridus Dux Saxonum, eo quod Henrici cauſam contra Pontificem tuerentur. Item Epiſcopus Vercellenſis Henrici Cancellarius, cum Gregorium vellet deponere, ſubitò extinctus eſt, teſte Bertholdo *Scriptore illius ætatis in chronico*. Imbrico Auguſtenſis Epiſcopus cum fidelitatem Henrico juraſſet, & miſſam facturus hanc ſibi conditionem impoſuiſſet, ut ſacræ oblationis perceptio in judicium ei proveniret, ſi Dominus ejus Henricus injuſtè regnum ſibi uſurparet, ſumpta Euchariſtia ſtatim in morbum incidit, & in excommunicatione deceſſit. Sigehartus Aquileienſis Patriarcha in auxilium armata manu Henrico veniens, in amentiam vertitur, & paulò poſt repentina morte intercipitur, ita Bruno *in Hiſtoria Belli Saxonici*, Guibertus Anti-Papa morte ſubitanea corcorreptus, ſcelerum ſuorum pœnas dedit; ut ſcribit Philippus Bergomenſis *in ſupplemento*.

28. E contrario qui pro Gregorio VII. adversùs Henricum ſteterunt, apud Deum maximam gloriam ſunt adepti. Ex quibus nonnullos refero. Eorum primus ſit Sanctus Anſelmus Lucenſis Epiſcopus doctrina & miraculis clariſſimus, Gregorii diſcipulus, qui (ut ſcribit Bertholdus Conſtantienſis *author illius ætatis in ſuo Chronico*) *poſt obitum Gregorii fideles S. Petri* (id eſt cauſam Gregorii foventes) *contra tyrannidem Henrici adhuc in carne vivens multum incitavit:*

itavit: ſed multo plus poſt obitum ſuum miraculis coruſcans, eoſdem contra eumdem perſiſtere confortavit. Vndè & pars Henrici de die in diem cœpit deficere. Catholici autem in fidelitate S. Petri non ceſſaverunt proficere. Hæc ad verbum ille ſcriptor. Secundus B. Anno Archi-Epiſcopus Colonienſis Sanctitate illuſtris, cujus vita extat apud Surium *tomo 6.* die 4. *Decembris.* Tertius Stephanus Epiſcopus Halberſtadenſis Vir doctus & Sanctus, qui fortiſſimè contra Henricum egit in Epiſtola quam ſcripſit ad *Walramum* ſub nomine *Ludovici Comitis*, quæ extat apud Dodechinum ad annum Chriſti 1090. Quartus S. Anſelmus Cantuarienſis præfatione in libellum de fermentato & azymo, ubi ſalutem dicere non vult Walramo Nauburgenſi Epiſcopo, *quod* (ut ipſe ait) *faveret ſucceſſori Iulii Cæſaris & Neronis, & Iuliani, & poteſtati contra Succeſſorem B. Petri*, id eſt, *quod partes Henrici ſequeretur.* Hic tamen Walramus poſtea ad mentem rediit, & Sedi Apoſtolicæ reconciliatus eſt, ut patet ex Tract. ejuſdem Anſelmi *de diverſitate Sacramentorum*, ubi ei reditum ad Eccleſiam plurimum gratulatur, & honorificè eum compellat. Quintus S. Gebehardus Epiſcopus Salisburgenſis, qui, ut ſcribit author vitæ ipſius, illo tempore *Fidelis S. Eccleſiæ, & veritatis Catholicæ propugnator eminebat.* Sextus S. Benno Miſnenſis Epiſcopus qui qui 40. annis adversùs Henrici hæreſim infatigabili labore decertavit, & tandem poſt mortem multis miraculis Filium ejus Henricum V. ad cedendum Eccceſiæ permovit: ita ſcribit Baronius *ad annum Domini* 1117. extatque vita ejus apud Surium *tomo* 3. 3. *Iunii.* Septimus Erminoldus Abbas Monaſterii Pruſamingenſis, cujus præclaræ res geſtæ extant tomo 2. *antiquarum lectionum ab Henrico Caniſio editarum.* Octavus S. Brunus Epiſcopus Siguinus de quo Petrus Diaconus *in Chronico Caſſinenſi lib.* 4. Omitto Sanctum Thomam, S. Auguſtinum Triumphum, S. Antoninum, & alios plurimos Sanctitate & doctrina clariſſimos, qui factum Gregorii tamquam juſtiſſimum probarunt.

29. Addamus alia ex probatiſſimis Hiſtoriis.

Ottho quartus propter injurias Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ illatas ab Innocentio 3. excommunicatus, in multas calamitates incidit, & tandem amiſit imperium nulla poſteritate relicta, Frederico II. in ejus locum ſuffecto. Supervixit quinque annis

inglorius: in eò tamen aliis felicior, quod cum ſummo dolore & deteſtatione facti ſui è vita deceſſerit, prius abſolutione impetrata; ut conſtat ex Grantzio.

Fredericus III. à tribus Pontificibus excommunicatus, & tandem in Synodo Generali depoſitus, imperium amiſit: deinde cum dolo domeſticorum operâ videretur curandus, à Manfredo Spurio ſuo, pulvillo ori injecto eſt ſuffocatus: talem nimirum expertus ſuum erga ſe filium, qualem erga Eccleſiam Matrem ſuam ipſe ſe præſtiterat.

Conrardus Frederici II. Filius cum Patri contra Eccleſiam adhæſiſſet, & ab Innocentio IV. excommunicatus eſſet, præſidio principum deſtituitur, & à Lantgravio Turingiæ Henrico prælio vincitur; ac fugatur. Itaque in regnum Neapolitanum coactus ſecedere, ibi à Manfredo fratre Spurio, veneno extinctus eſt nullo herede relicto; *Carion in Conrado* IV. Crantzius *lib.* 8. *Metrop. c.* 18. Conradinus Conradi Filius Frederici ſecundi nepos, parvi pendens Papæ excommunicationem, adverſus Carolum copias maximas eduxit: verum cæſo ejus exercitu, dum ipſe fugâ cum Duce Auſtriæ elapſus eſſet, miro modo deprehenſus & retractus, publicè capitis ſupplicio eſt affectus.

Petrus Rex Aragoniæ (in quem Conradinus jam plectendus jus ſuum reſignaverat) excommunicatus ob invaſum Regnum Neapolitanum; cum Gallorum aliquot turmas ex inſidiis invaderet, in conflictu miſerè periit. Sic refert Paulus Æmilius.

Philippus Pulcher Rex Francorum graviſſimas exercuit cum Bonifacio VIII. ſimultates, ab eoque fuit excommunicatus. Et quamvis poſtea fuerit abſolutus, & multa viſa ſunt ei ſunt ei ſuccedere ex voto: tamen ipſe in venatione ictus ab Apro periit, & in maximas calamitates poſteri ejus ſunt conjecti, ſicut à quodam Viro S. Prophetico ſpiritu prædictum fuerat; ut refert Ciacconus *in Bonifacio VIII. ſub finem.*

Ludovicus Bavarus excommunicatus, Imperium amiſit: & poſtquam diu in afflictione & mœrore vixiſſet, tandem cum venationi operam daret, ex equo lapſus, repentino atque inopinato fine, naturæ conceſſit; ut ſcribit *Aventius lib.* 7.

Ludovicus XII. poſt excommunicationem Julii II. plurima adverſa

verſa pertulit, multiſque damnis & cladibus affectus, tandem nulla relicta poſteritate in mœrore defunctus eſt.

Boleſlaus II. Poloniæ Rex à Gregorio VII. excomunicatus Regnum amiſit, & omnibus exoſus ac contemptus cum in Hungariam fugiſſet, furore correptus ſibi ipſe mortem conſcivit. *Teſte Cromero.*

30. Abſit omnino, Domini Confratre mei, abſit ut ulli fidelium Chriſtianorum Principi ſimilia veſtris vel futuris temporibus eveniant. Ut vero non eveniant ipſi ſatagite. Etſi enim malum conſilium ſit peſſimum conſultori, non deſinit eſſe malum illis quibus conſulitur, ſi conſilium iſtud ſequantur. Scitis quid populi Iſraëliticis Principibus evenerit. Nota eſt vobis hiſtoria Rhoboam, notæ plagæ, etiam toti Populo inflictæ. Scriptum etiam eſt ad Romanos 12 *Nolite eſſe prudentes apud vos met ipſos.* Et antea Iſaïæ 5. dixerat Deus, *væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobis metipſis prudentes.* De tali ſapientia ſcriptum eſt 1. *ad Corinth.* 1. *Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo.* Hoc vero, ne cum æterna ignominia in vobis fiat, cogitate mecum pleraſque particulas doctrinæ veſtræ; & ſi quid minus rectè à vobis dictum ſit, feſtinate corrigere, ne mors præmatura non det pœnitentiæ locum.

CONSVLTATIO III.

An nulli Principes, Eccleſiaſticæ poteſtati ſubſint indirectè in temporalibus, & quanta debeat eſſe Gallis authoritas reprobatæ Synodi Baſileenſis, & Conſtantienſis.

31. AGnoſcitis in præfatione *Declarationis* Sanctæ Sedis *Majeſtatem*, Petri & Succeſſorum ejus *Primatum*; fatemini Articulo 1 Petri Succeſſores eſſe Chriſti *Vicarios.* Sed quo tendit illa vox *Eccleſiæ* adjecta in principio Articuli 1. quo dicitis *primum Beato Petro ejuſque Succeſſoribus Chriſti Vicariis ipſique Eccleſiæ rerum Spiritualium & ad æternam ſalutem pertinentium non autem civilium ac temporalium à Deo traditam poteſtatem &c.*

Vtar hic, Domini confratres mei, eo argumenti genere, quod

quod Juris practicis non eſt infrequens: dum articulum ab adverſa parte poſitum, falſum tamen & poſtea refutandum, acceptant *in quantum pro.* Sic loquuntur, ut ſcilicet ex propria adverſarii allegatione uno loco facta deſtruant ejuſdem alium, vel alios articulos. Accepto igitur *in quantum pro* Articulum primum veſtræ declarationis, latius tamen poſtea refutandum: ac infero, primo, ergo malè articulo 2. ad Conſtantienſe Concilium appellatis, & ejus authoritatem extendiris ultra ea, quæ in Bulla Martini V. ſpecialiter ſunt expreſſa. Ecce enim quid inter cætera iſtius Concilii Patres abſque capitis Eccleſiæ authoritate decreverunt, quodque in ipſis Conciliorum Tomis nuper Lutetiæ Pariſiorum impreſſis reperietis.

32. "Conſiderans Synodus quod nonnulli Summi Pontifices „ex captata opportunitate nonnullorum Regum, Dominorum, „Comitum, & aliarum quarumvis perſonarum temporalium, aut „ad ipſorum benevolentiam captandam, vel alio ſpiritu ducti, „conceſſerunt & licentiam dederunt eiſdem tallias, collectas, „ſubſidia, impoſitiones, datias, pedagia, aut alia quævis onera „hujuſmodi imponendi vel exigendi ab Eccleſiis, Clero vel Ec„cleſiaſticis perſonis in eorumdem dominio vel diſtrictu aut alibi „conſtitutis & commorantibus, alias ad tempus, alias ad certam „ſummam, ſub diverſis modis, formis vel conditionibus, in con„fectis literis Apoſtolicis vel aliis hujuſmodi licentiæ compre„henſis, idcirco omnes & ſingulas conceſſiones & licentias hu„juſmodi, etiamſi de plenitudine poteſtatis Romanorum Ponti„ficum, aut Apoſtolicæ Sedis, quovis modo & quibuſvis perſo„nis ſub quibuſcumque verborum tenoribus conceſſas, revocat, „caſſat, annullat & irritat. Dictiſque Dominis, Comitibus & „aliis, ut ſupra expreſſis, mandat & jubet in virtute *Sanctæ obedientiæ & ſub pœnis, bannis & cenſuris, nec non in triplum reſtitutionibus ſupra expreſſis, quas incurrent ipſo facto, quod ab inde in antea dictis conceſſionibus, licentiis, aliqua & aliquibus ex ipſis nullo modo per ſe vel alium aut alios, directè vel indirectè, palam, publicè vel occultè, imponendo vel exigendo, quoquomodo utantur:* quinimo privilegia conceſſiones & ſcri„pturas hujuſmodi ſuper dictis conceſſionibus & licentiis confectas aboleri faciant.

33. In-

33. Infero ſecundò Conciliabulum Baſileenſe (q od ſcriptores veſtri tanti faciunt ut in Gallia receptum dicant, eſſe etiam à vobis rejiciendum & anathematizandum : pretendit enim tantam in Principes ſæculares quo ad ſæcularia, poteſtatem, ut etiam de eorum ſupremis Dominiis, & quidem feudalibus judicare vellet : ac propterea Sigiſmondus Imperator contra attentatum ejuſmodi jure merito emiſit proteſtationem, quam hic integram ſubjungo, ut plenius vobis pateat quantopere iſtius Baſileenſis Synodi ſenſus fuerit doctrinæ veſtræ contrarius.

34. "Notum facimus, (inquit Imperator) ac per præſentem „ noſtram inſinuationem ac ulteriorem relationem, quam vobis „ omnibus & ſingulis ſub debito fidelitatis injungimus, cunctis „ noſtro ſubjectis Imperio publicari jubemus, quod ad noſtræ „ Majeſtatis notitiam pervenit, qualiter Illuſtriſſimus Ericus Dux „ Lauvenburgenſis Illuſtriſſimum Fredericum Saxoniæ Ducem, „ Sacri noſtri Imperii Archimareſcallum, Lantgravium Turingiæ, ac Marchionem Miſnenſem, coram Sacro Baſileenſi Concilio ſuper ducatu Saxoniæ & Archimareſcellatu prædictis, ac „ jure eligendi Romanum Principem, trahere nititur in cauſam, „ prætendens Principatum, officium & jus ſupra dicta ſibi tam „ hæreditario, quam etiam infeudationis per nos ſibi factæ jure „ deberi. Et inſuper, quod nos ſuper impetitionibus ſibi promiſ„ſorum occaſione contra præfatum Fredericum competentibus „ juſtitiam miniſtrare denegaverimus, querelas in publicum pro„ferre minimè veretur. Per quorum alterum noſtræ Majeſtatis „ auctoritati derogatur, per alterum autem honorificentiæ no„ſtræ detrahitur. Noſtram itaque decet ſolertiam in primis quæ„dam Imperii noſtri jura ſervare, quinimo juxta poſſibilitatem „ noſtræ facultatatis adaugere, prout ex debito Sacramenti ſumus „ adſtricti. Quod rectè facere conſpicimur, ſi cauſas ad examen „ Imperialis culminis pertinentes ſub noſtra juriſdictione con„ſervemus. Cùm itaque Principatus officium ac ejus ſupra dicta „ à nobis & Imperio noſtro in feudum immediatè deſcendant, ac „ ſecundùm juris communis diſpoſitionem, nec non uſum, mo„rem, ſtylum & conſuetudinem Sacri Romani Imperii Electo„rum, pertinere notionem. Expedit inſuper de neglectu juſtitiæ

 „ noſtram

,, noſtram ſolicitudinem excuſare. Et quidem meminimus, quod
,, poſt inveſtituram per nos dudum in Fridericum. Tunc Mar-
,, chionem Miſnenſem genitorem ipſius Frederici (de quo nunc
,, agitur) de Ducatu, officio, & jure prædictis gratiosè collatam,
,, Illuſtres Archi-Principes Electores, antè ipſius Friderici aſſum-
,, ptionem, ac in collegium & conſortium ſuum aggregationem,
,, cauſam hujuſmodi perpenſis maturiſque conſiliis biennio ferè
,, digeſſerunt: tandem ipſum in collegium & ſenatum ſuum ac-
,, ceptarunt, etiam Erico prælibato renitente, ac Succeſſionem &
,, inveſtituram ſimiliter prætendente. Quamquam autem ipſe
,, Dux Ericus apud nos plurimum inſtiterit pro juſtitia ſibi con-
,, tra eundem Fridericum miniſtranda, foret quoque ſatis durum
,, cauſam & contentionem tam perpenſo digeſtam conſilio rurſus
,, in dubium revocare; quia tamen quæſtio ipſa non erat in fi-
,, gura judicii trutinata, nos eidem Erico ſemper ultroneos præ-
,, buimus juſtitiæ complementum miniſtrare legitimè. Quod ali-
,, ter expendi nequit, niſi Parium noſtræ Curiæ arbitrio, reſpectu
,, feudi memorati. Quos utique Pares, legitimè requiſiti, prompti
,, ſumus more Imperatoriæ Majeſtatis intra fines Alemaniæ vo-
,, care, ubi de cauſis & quæſtionibus Principum Alemaniæ ex
,, ſtylo Imperii noſtri nos convenit judicare. Ex quibus apertè
,, colligitur, nos eidem Erico juſtitiæ complementum in præte-
,, ritum minimè denegaſſe. Itaque & impreſentiarum nos in hu-
,, juſmodi cauſa præbemus juſtitiæ miniſtrum, quinimò, Deo
,, propitio, præbebimus ſemper in futurum quamdiu nos ſuo ter-
,, reno imperio præeſſe voluerit. Quæ omnia & ſingula menti-
,, bus veſtris firmiter inculcari volumus, & in theſauro memoriæ
,, veſtræ reponi tenacius, & nihilo minus per organa veſtra in
,, omni orbe diffundi, quo liquidius cunctis innoteſcere queat
,, cauſam hujuſcemodi ad noſtram & Parium noſtræ Curiæ, reſ-
,, pectu ipſius, feudi, examen pertinere, noſque juſtitiam in ea
,, nunquam denegaſſe; nec modo poſtquam divina præordinan-
,, te clementia ſolium Cæſareæ dignitatis conſcendimus, futuris
,, unquam temporibus denegabimus. De quo publice & ſolem-
,, niter proteſtamur. *Quam inſuper proteſtationem Sacro Baſileenſi Sy-
nodo intimare curabimus, ac ipſam requirere, quatenus cauſam ipſam à ſe
penitus*

penitus abdicet, & ad forum noſtrum remittat, more ſtylo, & conſuetudine Imperii noſtri & Parium curiæ noſtræ terminandam.

Nihil ſimile prætendit ſancta Sedes, (cujus hodie authoritas per emiſſarios, de quibus ſtatim, apud vulgus horrendss impoſturis traducitur) ecce enim quid ipſa in Canonibus juri communi inſertis edixit; *Non intendimus judicare de feudo, cujus ad ipſum* (Regem) *ſpectat judicium, niſi forte juri communi per ſpeciale privilegium, vel contrariam conſuetudinem aliquid ſit detractum cap.* 12. ✠. *de judiciis.*

Imo etiam Clericos voluit in materia feudali ſtare juri coram Domino feudi. Qua de re *in cap.* 7. ✠. *de foro competenti,* dicitur, *quoniam de quibuſdam feudis adverſus Præpoſitum quæſtio mota fuit: ſtatuimus, ut ex quo Epiſcopus fuerit in Eccleſia conſecratus, de feudis ipſis ſuo judicio cognoſcatur, ſi ad Eccleſiam pertineant: alioquin* beneplacito Imperiali (*ſicut juſtum fuerit*) *relinquatur.* Et in cap. 6. *ibidem* dicitur. Ex *tranſmiſſa nobis inſinuatione intelleximus, quod cum Renatus de Caſſaville traxiſſet in cauſam B. C. V. coram Epiſcopo Trecenſi, nobilis Vir de Campis eorum Dominus ſub debito fidelitatis eis inhibuit, ne de ſæculari feudo in judicio Eccleſiaſtico reſponderent.* Et paulo infrà, *per Dominum feudi cauſam jubeas terminari.*

CONSULTATIO IV.

Auctoritatem Sanctæ Sedis non eſſe reddendam odioſam vulgo per impoſturas.

34. Dixit Sapiens Proverbiorum 4. *remove à te os pravum & labia detrahentia ſint procul à te.* Detractatores verò ſic depingit Pſalmiſta *Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum.*

Hoc ipſum experti ſumus die 14. Septembris anni currentis in uno ex Emiſſariis magno doctrinæ veſtræ Patrono. Eramus in navis, quæ Bruxella Antverpiam tendit, interiori cubiculo per-

ſonæ circiter quindecim : inter quas Nobiles & Docti aliquot, Religioſi duo, alter mecum Eccleſiæ Divi Petri Lovanii Canonicus, Matronæ tres, iis quæ colloquebamur idiomate Gallico, penitus intentæ.

Aderat & Vir ignotus ætatis circiter annorum quinquaginta, capillis niger, veſte modeſta ſubgriſea, Breviarium in manu tenens, & qui ſe in Hollandiam tendere ſignificabat.

37. Interrogatus ego ab uno ex nobilibus quid de nova & hic inaudita Gallorum Doctrina ſentirem, cepi improbare puncta nonnulla; ſtatim Vir ille, quem Hollandum Miſſionarium credebamus, Gallico Sermone ſatis eleganti interrumpit diſcurſum; & impetit authoritatem Sanctæ Sedis, tamquam ſe facientem plenam, directam, & abſolutam Dominam rerum quarumlibet cujuſcumque Chriſtiani hominis, arrogantemque ſibi jus transferendi, Dominia, civitates & Regna unius in alterum. habebat diſcurſus ille ſtatim omnium applauſum & ſiniſtram graviſſimamque adverſus Sanctam Sedem impreſſiſſet omnibus opinionem, niſi eum confudiſſem.

Sic ergo eum aggredior, *Domine mi ex falſa ſuppoſitione loqueris, & pace tua dixero, garris de rebus, quas parum intelligis.* Dic Domine, *quis unquam pontifex prætendit talia ? Quis Catholicus Scriptor iſta Sanctæ Sedi aſſeruit ? Nomina unum, ſtringam calamum, facturus indubiè per hoc rem gratam Sanctæ Sedi, quæ ſicuti merito jura ſua conſervat, ita non feret imputari ſibi, quod ſic prætendat aliena.*

At, inquit ille, *dominium prætendit in res ſæcularium.* At ego : *Nec videris inſtructus rerum, de quibus diſputant Theologi & Iuriſtæ. Quærunt an nulla Eccleſiæ competat poteſtas, quæ ſe indirectè extendat ad aliqua temporalia.* V. g. *Suppone Principem aliquem factum eſſe Hæreticum vel Apoſtatam, velle omnes ſubditos ſuos avertere à fide, & vera religione, imminere omnibus periculum amiſſionis bonorum, vitæ, vel exilii, niſi iſtius Principis Pſeudo-Religionem amplectantur, vel ipſos eorumq́ proles damnandas in æternum, ſi amplectantur. Quæritur an tali caſu non ſit penes Eccleſiam poteſtas excommunicandi Principem ejuſmodi, & per conſequentiam ex ipſa excommunicatione profluentem abſolvere ſubditos, præſertim conſentientes ab obligatione juramenti fidelitatis, ſeu illius ſuſpendere effectum : & ſi excommunicationem contemnat, & magis ac magis inſordeſcat*

cum

cum evidenti periculo damnationis animarum & perditionis ſubditorum, *an tandem non poſſit Eccleſia, & qui Eccleſiæ Caput eſt Summus Pontifex, abſolvere totaliter: non ut Ducatum aut Principatum transferat pro arbitrio in alium, ſed, ut qui proximus eſt ſanguine, ſuccedat in regimine; aut, ſi eſt principatus electivus, alium eligant illi, ad quem jus eligendi pertinet?*

Non poteſt, inquit ille, abſolvere, *nec ſubditi in abſolutionem conſentiendo excutere illius jugum: quia quo ad ea quæ ſunt religioni contraria abſolutione non egent, quoad cætera vero obedire debent.* Replico ego: *Si ſub ejus regimine perſeverent, & quoad ea quæ Pſeudo-Religionem concernunt, ipſi non pareant, ſpoliabuntur bonis, multabuntur exiliis, afficientur ſuppliciis. Hoc*, inquit ille: *Impertinens eſt, fiant Martyres, ſuppliciis ſe afferant, quia dixit Chriſtus: Si quis te percuſſerit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Cedant quoque liberaliter bonis ſuis, quia ſimiliter dixit Chriſtus: Qui vult tunicam tuam tollere, dimitte & pallium.* Ad iſta unus è conſortio modeſte ait, *Hic vir Lutheranus eſt.* Dictus vero Dominus Canonicus ſic ſe gerens quaſi iſtius Emiſſarii pallium foret arrepturus, en inquit *pallium tuum rapio, da mihi thoracem.* Ad hæc ille velut in furorem converſus, ſi, inquit, *non eſſes Sacerdos, & eſſemus extra navium.* Motum quo potuimus modo compeſcuimus & reſumpta diſputatione quæſivi, *An tuendæ Religionis cauſa*, non liceret bellum inferre, *An non liceret Catholicorum Principum implorare auxilium; an quod illi tali bello occuparent, non facerent ſuum? An modernus Chriſtianiſsimus Rex non rectè nuper religionis intuitu Hollandos aggreſſus ſit, obtentis, ut fama fuit, ab Eccleſiaſtico ſtatu plurium millium contributionibus?* Non dico, inquit ille, *ipſum benefeciſſe:* & cum hæc verba proferret monemur de mutanda navi, ibique hactenus concluſa fuit diſputatio, eâ conditione, & toto conſortio approbante, ut in ſuccedanea navi proſequeremur.

Sed proſecutionem impediit, non in Sanctam Sedem, ſed in Patres Societatis Jeſu & Minoritas linguæ jacula convertens. *Tu*, inquit, *imbutus es doctrina Ieſuitarum eaq́ peſtilenti.* Interrogo, *Quid ergo docent, quo me malè imbutum ſentis?* Docent inquit, & quidem omnes, *Quod ſi mihi ſpeculativè ſit probabile eſſe licitum occidere Petrum, certo poßim licitè occidere.* Itane, inquam, legiſti Leſſium de homicidio? Habet in terminis oppoſitum, quomodo ergo dixiſti *omnes.* Nomine *omnium*, inquit, *intelligo pleroſque.* At ego *nomina*

vel unum exhibe, *ejus verba & anticipabo interim* 12. *pocula vini conſortio propinanda*, *pretium perditurus*, *ſi Antverpia quo mecum tendis*, *reperis in Authore quem nominaveris*; *repetiturus autem ibi à te*; *& reſtituendum per te*, *ſi non reperis.* *Non certo*, inquit; *nec author mihi nunc occurrit*: *ſed exhibet tibi* Montaltius, *& alius libellus*, *cui titulus* Decret. Ad iſta ego, *utrumque legi*: *Scio ab authoribus iſtis imponi.* Et, *qua ratione*, *tu Domine mi*, *argumentaris ab authoritate librorum damnatorum à Sancta Sede*? Nos, inquit, in Gallia Decreta ejuſmodi non recipimus. Expoſtulo ego, & interrogo, quid ergo recipitis? Verum omiſsâ ad hanc interrogationem reſponſione Minoritas aggreditur & nomine contumelioſo eorum unum Namurci non ita pridem degentem indigitat. *Ecce*, inquit, *docuit ille vitulus Franciſcanus*? &c. Tandem cum illum adegiſſem, ut denuo dixerit, *Decreta Sedis Apoſtolicæ etiam illa quæ lata ſunt contra Gallicam verſionem Novi Teſtamenti in Gallia non recipi*; terminata eſt diſputatio, toto conſortio illum velut Hæreticum abhorrente, & nemine ab aſcenſu in navim tertiam, ſeu à loco Vilvordiæ vicino, Antverpiam uſque eum alloquente.

35. Spero, Domini Confratres, de vobis meliora; nec paſſuros, ut vel quæſitis ad invidiam concillandam exemplis, vel falſis ſuppoſitionibus, populus ſeducatur, vel fuco obumbretur veritas. Ac ſub eâ ſpe ad ulterius doctrinæ veſtræ examen propero.

CONSVLTATIO V.

Gravem injuriam intuliſtis omnibus Epiſcopis, *eorum authoritati ac juriſdictioni*; *ipſiſmet veſtris Eccleſiis Cathedralibus. Ergo doctrina veſtra retractanda*, *aut longè aliter*, *quam ejus verba ſonant*, *explicanda.*

36. Confratres mei, in prima parte *Declarationis*, ſic loquimini quaſi in Regibus & Principibus ſpeciale ſit, quod nulla Eccleſiæ competat poteſtas, quæ ſe indirectè extendat ad eorum temporalia vel exemptionem à præſtito fidelitatis juramento. Et tamen illæ Scripturæ locus quem adfertis ad concluſionis veſtræ probationem, *Regnum*

meum

meum non eſt de hoc mundo, ſi habet illum ſenſum, quem prætenditis, equè militat adversùs Eccleſiam in favorem cujuſcumque Comitis, Baronis, Domicelli & cujuſcumque tandem privati. Adversùs quem ſi authoritas Eccleſiaſtica exerceat juriſdictionem quæ ſe quovis modo etiam indirectè ad ipſius temporalia extendat, objiciet Laicus ille Epiſcopo, ejus Vicario, Officiali, Capitulo Cathedrali aut Metropolitano, *regnum tuum non eſt de hoc mundo.*

37. Non ita cenſuerunt anno 1663. Senatores Belgii, qui controverſia mota per Geldriæ Status adversùs Ruremondenſem Epiſcopum (cujus tunc tuebar partes, impreſſo etiam motivo juris) decreverunt in hunc modum:

Veu au Conſeil privé du Roy, à l'intervention des Conſeilliers de Baillencourt, Stalins, & vander Zype du Grand Conſeil, & des Conceilliers Prooſt & Leemputte de celuy de Brabant, le different encommencé par Requeſte preſentée à Sa Majeſté, par l'Eveſque de Ruremonde, & par inſtruit au Conſeil de Gueldres entre iceluy Eveſque d'une parte, & des Eſtats du meſme Païs & Duché de Gueldres, jont avec eux le Conſeillier Mambour de ſa Majeſté illec d'autre; ledit different renvoyé à Son Excellence, par leſdicts du Conſeil en Gueldres, avec leur advis par lettres du treme-uniéme d'Octobre mil ſix cent ſoixante deux. Veuë auſſi la requeſte preſentée à Sa Majeſté le troiſiéme de ce mois de Iuillet, par ledict Eveſque & piéce y attachée debatues par partie, & jointes audit procés par ordonnance du quatriéme d'iceluy mois. Veuës auſſi les deux Requeſtes preſentées par leſdits Eſtats le vingtuniéme de Iuin dernier, avec diverſes piéces jointes; l'une d'icelles validée pour civile pareillement debatuë par ledit Eveſque, & auſſi jointes audit procés, par appointemens des vingt-uniéme & vingt-deuxiéme dudit mois de Iuin reſpectivement. Veuë en outre autre Requeſte preſentée par leſdits Eſtats piecés y annexés le vingt-troiſiéme dudit mois de Iuin, auſſi debatues par partie, & jointes audit procés par ordonnance du vingtcinquiéme du meſme mois. Et finalement encor autre Requeſte deſdits Eſtats; avec certaine atteſtation y jointe du cinquiéme de ce mois pareillement jointes audit procés par apoſtille du meſme jour, & de tout fait rapport à ſadite Excellence ſa Majeſté ſans prendre égard à la requeſte dudit Eveſque du troiſiéme de ce mois, dont il n'avoit beſoing, & rejettant celles deſdicts Eſtats, garde & maintient ledit Eveſque de Ruremonde en l'exercice & poſſeſſion de ſes authoritez & droits Epiſcopaux; à l'effect de pouvoir connoiſtre à charge de toutes

Digitized by Google

toutes perſonnes Laiques des crimes & delicts eſtans purement Eccleſiaſtiques, & par prevention de tous autres communément nommez mixti fori, *& de les punir par les peines uſitées & tribunaux d'Egliſe, & auſſi par mulctes &* amendes pecuniaires, *ſelon l'exigence du cas à appliquer au proffit des pauvres ou lieux pieux, à exprimer par le ſentences; en taxant neantmoins leſdites mulctes & amendes avec la moderation qu'il convient. Si condemne ſadite Majeſté leſdits Eſtats aux deſpens dudit different à deüe taxation. Fait au Conſeil privé du Roy tenu à Bruxelles le ſixiéme Juillet mil ſix cens ſoixante trois. Paraphé Steenb. ut. & ſigné B. Blondel.*

40. Idem fuit ſenſus Parlamentorum Galliæ: quorum Arreſta referens Joannes Tournet *tomo 1. Littera 1. cap. 73.* ait: *Encores que nous ſoyons d'accord que tout juge, ayant exercite de juriſdiction, à droict de condemner à l'amende; toutefois cela ſe doit entendre en telle façon, que l'amende par le juge d'Egliſe ordonnée ſoit employée à quelque uſage & cauſe pieuſe, autrement, ſi la condemnation à l amende eſtoit pure & ſimple, ſans adjouſter à quel uſage & cauſe pieuſe, elle ſeroit deſtinée, il ſembleroit que l'Eveſque vouluſt luymeſme ſe l'adjuger à ſon proffit: ce qui a eſté reprouvé par pluſieurs arreſt de la Cour. Il ne peut donc qu'en la condition & charge de la cauſe pieuſe, ſuſdite ordonner aucune amende contre les partie. Par arreſt de la Cour de Parlement de Paris, du vingtneufviéme Novembre 1530. donné en l'audience en plaidant, Morlon plaidant pour l'appellant, & Bariot pour l'intimé. C'eſt la diſpoſition meſme que nous en trouvons in Concilio Triburienſi cap. Presbyteri, de pœnis, &c.*

41. Noverunt indubiè Epiſcopi omnes Galliæ, aut ſaltem plerique, quantoperè in dies Regia Conſilia Eccleſiaſticam ipſorum juriſdictionem, etiam in rebus minimis vel ex levi cauſa impediant: & per appellationes, quas vocant *ab abuſu*, ſuſpendant eorum ſententias caſſent, & annullent. Exſtant deſuper Tomi duo ſub hoc titulo *traitè de labus, & du vray ſujet des appellations qualifiées de ce nom d'abus par Charles Feuret &c. à Lyon 1667. avec privilege du Roy.*

Plenum eſt totum illud opus ejuſmodi conquiſitis cauſis, quibus Eccleſiaſtica authoritas conſtringitur. Conſiderate ergo mecum, utrum (ſi neceſſitas erat declarationem aliquam emittendi ſuper *Eccleſiaſtica poteſtate*) vobis Eccleſiaſticis Viris, Canonicis, vel etiam in dignitate aut officio conſtitutis, qui etiam in admiſſione

ſione veſtra ad Canonicatum, aut dignitatem vel officium, jura Eccleſiæ veſtræ conſervare juraſtis, non incumbebat eam ſaltem, quæ Eccleſiis relicta erat ex priorum temporum amplitudine, modica poteſtas & authoritas, defendere. Nunc verò ceſſiſtis illam alienaſtis, abjeciſtis, uti plenius patebit infra. Videte an non merito Eccleſiæ veſtræ cum illa Cantic. 1. ploraturæ ſint & dicturæ, *Filii Matris mei pugnaverunt contra me.*

CONSULTATIO VI.

Expendere debetis pleniùs contextum Ioannis ex quo tranſcripſiſtis illud,
Regnum meum non eſt de hoc mundo.

42 TExtum illum ſuperficialiter tantum attigi in *diſquiſitione mea*, remittendo Lectorem ad alia Scripturæ Sacræ loca, hæc videlicet ex cap. 2. Joannis & 21. Matthei, ubi *menſas & Cathedras evertit.* Ex eodem cap. Matthei, ubi *areſecit Ficulneam*, ex cap. 8. ejuſdem Matthei, ubi *dæmones immiſit in porcos.* Ex Actuum cap. 5. ubi *de authoritate Petri in Ananiam & Saphyram*, ex cap. 13. Actuum, ubi *de facto Pauli in Elimam Magum*, ex 1. ad Cor. 5. ubi *de excommunicatione inceſtuoſi*, & ex 3. Epiſt. Joannis. Plura alia Scripturæ loca, de Chriſti Regno etiam quoad temporalia, attulit Illuſtriſſimus Dominus *Nicolaus Cevoli, ex Marchionibus de Caretto, in Antigrapho ad Cleri Gallicani de Eccleſiaſtica poteſtate declarationem pag.* 16. *& ſeqq.*

43. Ego pleniùs examen hujus loci vobis reſervavi. Textus Joannis ita habet: *Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocavit Ieſum, & dixit ei: Tu es Rex Iudæorum reſpondit Ieſus: A temetipſo hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? Reſpondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus ſum? Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi: quid feciſti? Reſpondit Ieſus, Regnum meum non eſt de hocmundo. Si ex hoc mundo eſſet, Regnum meum, miniſtri mei utique decertarent ut non traderer Iudæis: nunc autem Regnum meum non eſt hinc. Dixitaque ei Pilatus: ergo Rex es tu? Reſpondit Ieſus: Tu dicis quia Rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati: omnis, qui eſt ex veritate, audit vocem meam.*

44. Videamus nonnullas ex his Evangelii ſententiis. Dum ait Chriſtus, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*; dicitne nullam penitus, ac nequidem indirectam competere ſuper res temporales authoritatem; an non potius ſe eſſe regem, non quales ſunt hujus ſæculi, modicam tantum partem orbis terræ poſſidentes, ſed ſupra mundum, ſupra omnes Reges.

Audite Ambroſium lib. 3. in Lucam: *Nunquid ergo & ipſe mentitus eſt, quia regnare ſe dixit, qui non regnavit in terris? quomodo Scriptura ſolvitur, quæ regnare eum dicit, & regnare non aſtruit? in abruptum diſputationis venimus, hæremus in vado, & quodam veritatis naufragio fluctuamus. Excitemus igitur Chriſtum, ipſum interrogemus, ipſe reſpondeat. Interrogemus Scripturas, invenimus, quia Regnum Domini non eſt de hoc mundo. Qui dicit non eſſe de hoc mundo Regnum ſuum, oſtendit eſſe ſuprà mundum. Ita & erat Regnum ejus, & non erat: non erat in ſæculo, ſupra ſæculum erat. Erat enim Regnum aliud veri David, quod ſolus Chriſtus accepit: & erat ſemen aliud David, quod in æternum manet, de quo ſolus generatus eſt Chriſtus, qui ſolus verus Filius David, cujus etiam ſolus nomen accepit, juxta quod ſcriptum eſt: Inveni David ſervum meum, in oleo Sancto meo unxi eum. Quod utique non de Propheta David, ſed de Domino dici præmiſſa declarant.*

Et Chryſoſtomus Homil. 83. in Joannem: *Roganti autem, quid feciſti? nihil ad hoc reſpondit Ieſus; ſed ad id quod valdè cupiebat Pilatus hoc eſt, de Regno ſuo reſpondet, inquiens: Regnum meum non eſt de hoc mundo; quaſi dicat Rex ſum, non tamen qualem arbitraris, ſed longè præſtantior.*

45. Nec rejicietis, ut puto, Janſenii Iprenſis Epiſcopi interpretationem, ſic verò ille in cap. 18. Joannis ſcribit: „RESPONDIT JESUS, obliquè, & tamen ſatis apertè ad primam quæſtionem, quæ caput erat totius cauſæ; ita tamen ut ſtatim Pilatum liberet ſollicitudine de læſo Cæſare: REGNUM MEUM NON EST DE HOC MUNDO, id eſt, non eſt de numero Regnorum hujus mundi, neque illius conditionis, cujus eſt Regnum Cæſaris, ut proindè nihil de ipſo læſo timeas. Probat autem à communiter accidente, quia alioqui MINISTRI MEI, ſatellites, milites, exercitus, UTIQUE DECERTARENT, pro me, UT NON TRADERER JUDÆIS, hoſtibus videlicet meis: NUNC AUTEM, „q. d.

„, *q. d.* quandoquidem videas hoc non fieri juxta conſuetudinem „ hujus mundi, conſequenter liquet, quod REGNUM MEUM NON „ EST HINC, id eſt, NON HABET ORIGINEM SUAM, NEQUE CONDITIONES SUAS EX HOC MUNDO".

46. Et hoc eſt quod antea tradiderat Auguſtinus Tract. 115. in Joannem. *Non ait*, inquit, *hic Chriſtus*. REGNUM MEUM NON EST IN HOC MUNDO: *Sed* NON EST DE HOC MUNDO. Et paulò poſt: *non ait*, REGNUM MEUM NON EST HIC. *Sed* NON EST HINC. Non negat ergo Chriſtus, ſe non habere Regnum in hoc mundo: ſed negat ſe ab hoc mundo accepiſſe, ſicuti acceperunt Reges alii, uſurpatione, electione populi, vel ſucceſſione per jus ſanguinis aut propinquitatis. Negat quoque Regni ſui ſtabilitatem & corporis ſui defenſionem pendere ex ſubditorum ſuorum obſequio, & auxilio; ſicuti cæterorum Regum ſalus, & propria dignitas dependet; ac propterea ſubjungit, *Si ex hoc mundo eſſet Regnum meum, miniſtri mei utique decertarent.* Sed hoc miniſterio non eguit Chriſtus: nec ideò traditus eſt Pilato, quia illo caruit: *Sed quia*, inquit Chryſoſtomus Hom. 82. in Joannem *ſe ſponte tradidit, oſtendens in hoc Regni noſtri imbecillitatem, quod in ſervis habeat poteſtatem: ſupernum autem Regnum ſibi ipſi ſufficiens eſt & nullius indiget.* Ipſe autem *Regnum habebat longè majus atque præſtantius.* Ita iterum Chryſoſtomus.

47. Videte ergo Confratres mei conſequentiæ veſtræ ſpeciem. Chriſtus habuit, & habet regnum longe majus atque præſtantius, ergo Reges & Principes intemporalibus nulli Eccleſiaſticæ poteſtati Dei ordinatione ſubjiciuntur &c. Quis vel mediocriter Dialecticus non negaverit vobis conſequentiam: & ſi negaverit, quo argumenti genere probabitis.

48. Cæterum quia iſtam Chriſti Sententiam *Regnum meum non eſt de hoc mundo &c.* Etiam ad ſummum Chriſti Vicarium & Eccleſiam pertinere dicitis; vos ſequor. Perpendite ergo quod de Eccleſiæ regno ſcripſit Pipino Regi Sanctiſſimus Epiſcopus Jonas Aurelianenſis *in lib. de inſtitutione Regia.*

49. Sciendum omnibus fidelibus eſt, quia univerſalis Eccle- „ ſia Corpus eſt Chriſti, & cujus caput idem eſt Chriſtus, & in „ ea duæ principaliter extant Eximiæ perſonæ: Sacerdotalis, quæ

CONSVLTATIO VII.

Expendenda ſimiliter à vobis propinquius ſunt alla duo Scripturæ loca quæ adſertis.

51. ARticulo primo veſtræ *Declarationis* Scripturæ textus inducitis ſequentes: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*, ac proinde ſtare Apoſtolicum illud, *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt à Deo ordinata ſunt: Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.*

Omnino Confratres mei, quæ ſunt Dei reddite Deo. Etenim tam juris communis civiles leges, quam Galliæ ſicut aliorum Regnorum edicta & conſuetudo illatam Imperatorum, Regum, & Principum Supremorum Vicariis, Legatis, Parlamentis, & Supremis Senatibus, injuriam, inobedientiam & contemptum authoritatis, plectunt, tamquam ſi ipſi Supremo Principi eſſet illata. Imo qui Apparitori Regis, Senatus, Parlamenti aut Vicarii reſtiterit in iis quæ ad ejus officium vel executionem ſpectant, non eſt à pœna capitali immunis. Læditur enim Principis authoritas, ubi læditur juriſdictio eorum quibus eſt commiſſa.

52. Agnoſcitis Summum Pontificem eſſe Chriſti *Vicarium*. Eſtote igitur ut minus æquè ſolliciti, ne commiſſam ipſi à Chriſto authoritatem contemnatis vel lædatis, quam eſſetis ſolliciti ne Parlamento Pariſienſi, Tornacenſi, Toloſano, & generatim Regis Chriſtianiſſimi Vicariis non reddatis ea, quæ ſunt Regis, imo magis ſolicitos hac in parte vos eſſe oportet, *& timere eum qui poteſt corpus & animam perdere & mittere in gehennam, in ignem æternum, inextinguibilem, in ſtagnum ardens ſulphure, &c.*

Recte dicitis *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Si omnis ergo etiam anima *Regum & Principum* poteſtati *Vicarii* Chriſti, ipſique Eccleſiæ ſubdita ſit. Non enim dubitatis ipſius & Eccleſiæ poteſtatem eſſe ſublimiorem, nec Prælati veſtri ſeu Archiepiſcopi & Epiſcopi dubitant quin ſublimiorem habeant authori-

Digitized by Google

thoritatem quam Domicelli, Barones, Comites, etiam Principes in ipſorum Diœceſibus exiſtentes.

53. Authoritas *Vicarii* Chriſti, ipſiuſque Eccleſiæ eſt à Chriſto; & ut ſcitis ſublimiori modo quam ſit authoritas Principum: de quibus etſi ſcriptum ſit: *Per me Reges regnant*, non tamen crudè accipendum illud *per.* Multi enim non tam poſitiva voluntate Dei & authoritatis impartitione, quam permiſſione tantum regnant. Qua de re iterum Aurelianenſis Epiſcopus Jonas *de inſtitutione Regia c. 7. multi munere Divino, multi etiam permiſſu Dei regnant. Qui bene agunt ſine dubio per Deum regnant: qui vero ſecus non ejus munere, ſed permiſſu tantum regnant. De talibus Dominus per Prophetam inquit*, dabo Regem in furore meo; & Job. qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata Populi mei. At vero ipſas Claves Regni Cælorum Vicario ſuo immediate dat Chriſtus qui dixit: *Dabo tibi Claves Regni Cælorum & quodcumque ligaveris &c.* Et ipſis Sacerdotibus per Conſecrationis miniſterium dicit, *accipite Spiritum Sanctum quorum retinueritis peccata retenta ſunt.*

54. Qua propter videte confratres mei an non ſit cudenda nova Philoſophia, novæ argumentorum ſedes; ut ex allegatis per vos ſcripturis formetur illa conſequentia, quia dicitis: *Ergo Reges & Principes &c* Perpendite etiam an Galliæ Epiſcopi, qui ſunt Duces, Principes aut Comites, & habent ſub ſe Feudatarios Domicellos, Barones, Comites, forte etiam Principes, non debeant ex doctrina veſtra, adeo generali, merito timere, ne ipſorum Dominium directum excutiant, objiciantque illud, *Regnum tuum non eſt de hoc mundo.*

CON-

Digitized by Google

CONSVLTATIO. VIII.

Videte quomodo ab Eccleſiis & Epiſcopis Gallicanis Eccleſiaſtica authoritatis gladium aufertis, & confringitis, ac directè ſtatutis, conſuetudinibus, & Eccleſia Gallicana libertatibus contravenitis.

55. VIdeamus uſum Galliæ quoad excommunicationem, item Principum ejuſdem Regni, Procerum ipſorumque Epiſcoporum (quorum authoritatem *Declaratio* impetit) ſententias & excommunicationis effectum.

In tomo primo Conciliorum Galliæ Pariſiis impreſſorum anno 1619. habetur hic Titulus: *Sententia Gallicanorum Epiſcoporum in Concilio Aquilienſi dicta adversùs Palladium hæreſis Arianæ aſſertorem.* Inter ſententias hæc habetur.

Ambroſius Epiſcopus dixit: Quid etiam dicit Dominus meus Iuſtus? Iuſtus Epiſcopus Legatus Gallorum dixit: qui Filium Dei coæternum cum Patre non confitetur, Anathema habeatur. Et iſta quidem ſæculo quarto.

56. Anno Chriſti 441. celebratum eſt Concilium Arauſicanum I. cui ſubſcripſerunt Epiſcopi 16. in eo dicitur can. 6.

Si quis autem mancipia Clericorum pro ſuis mancipiis ad Eccleſiam confugientibus crediderit occupanda, per omnes Eccleſias diſtrictiſſima damnatione feriatur.

Anno 452. in Conc. Arelatenſi 2. can. 8. ſic decernitur.

Si quis excommunicatum alterius, ſive Clericum, ſive ſæcularem recipere post interdictum præſumpſerit, noverit ſe reum fraternitatis factum, cauſam in Concilio redditurum. Iterum ibid. can. 48.

Secundùm conſtitutionem Synodi Vaſenſis quicumque oblationem fidelium ſuppreſſerit, aut negaverit; ab Eccleſia, cui fraudem fecerit, excludatur.

Anno 461. iterum in Concilio I. Turonenſi can. 7. dicitur: *Homicidis penitus non communicandum, donec per Confeſſionem Pœnitentiæ ipſorum crimina diluantur.*

57. Sæculo ſequenti ſeu anno 506. Agatenſi Concilio interfuerunt Archi-Epiſcopi & Epiſcopi reſpectivè 34. qui ſic can. 25. decreverunt:

Hi verò

Hi verò ſæculares, qui conjugale conſortium culpa graviore dimittunt, vel etiam dimiſerunt, & nullas cauſas diſcidii probabiliter proponentes, propterea ſua matrimonia dimittunt, ut aut illicita, aut aliena præſumant: ſi antequam apud Epiſcopos comprovinciales diſcidii cauſas dixerint, & prius uxores quam judicio damnentur, abjecerint; à communione Eccleſiæ, & Sancto populi cœtu, pro eo quod fidem & conjugia maculant, excludantur.

Anno 511. in Aurelianenſi Concil. 1. cui ſubſcripſerunt Metropolitani & Epiſcopi 32. ita can. 11. decretum eſt:

Ne ſuperſtes frater torum defuncti fratris aſcendat, neve ſe quiſquam emiſſæ uxoris ſorori audeat ſociare. Quod ſi fecerint, Eccleſiaſtica diſtrictione feriantur. Verba iſta *Eccleſiaſtica diſtrictione feriri* excommunicationem denotant ſecundum Canoniſtas; ſicuti etiam voces *ab Eccleſiæ cœtibus arceri*, quibus utuntur Patres Conc. Aurelianenſis 2. cui ſubſcripſerunt per ſe, & per procuratorem triginta & unus Epiſcopi, & can. 20. ita decreverunt:

Catholici, qui ad idolorum cultum non cuſtodita ad integrum accepti Baptiſmi gratia revertuntur, vel qui cibis, idolorum cultibus immolatis, guſtu illicitæ præſumptionis utuntur, ab Eccleſiæ cœtibus arceantur.

58. Iterum eodem ſæculo in Conc. Aurelianenſi 5. cui ſubſcripſerunt Epiſcopi partim per ſe partim per Procuratores, ſeptuaginta & unus, ſic ſtatutum eſt, can. 14.

Vt nullus Epiſcoporum, aut cujuſlibet ordinis Clericus, vel alia quæcumque perſona, quibuſlibet conditionibus, ſeu in uno Regno, ſeu in alio poſitus alterius cujuſcumque Eccleſiæ res aut petat, aut præſumat accipere. Quod ſi fecerit, tamdiu habeatur à Communione Altaris, vel omnium fratrum ac filiorum charitate ſuſpenſus, donec ipſi Eccleſiæ, cujus directo ordine juris eſt, ablata reſtituat.

59. Confratres, mere ejuſmodi ſententia *excommunicationis* ſe indirectè extendunt ad temporalia: non extenſione illa, qua Epiſcopi ſibi attribuant Dominium rerum ad excommunicatos pertinentium: ſed ut interim ſubditi ab obſequiis, alias debitis, quodammodo liberentur ad tempus vel ſuſpendatur obligatio: ut qui Divinas Leges contemnunt, aut ab iis deviant, temporalis commodi privatione reducantur.

Nec aliter cenſuerunt poſteriorum temporum Patres. Nam in Turonenſi ſecundo Anno Chriſti 567. can. 24. ſtatuerunt hoc modo:

"Illud

„Illud quoque, quamquam Priorum Canonum ſit auctoritate „præfixum, quod dum inter ſe ſæviunt Domini noſtri, ac malo„rum hominum ſtimulo concitantur, & alter alterius res rapida „cupiditate pervadit, ne iſta caduca actione, qua inter ſe agun„tur, Eccleſiaſtica rura contingere, aut contaminare præſumant „inviolabiliter obſervandum cenſemus. *Et paulo poſt ſic proſe„quuntur:* Quod ſi pertinaciter in pervaſione perſtiterit, & ſe „tollere poſt tertiam commonitionem de re illa, aut Eccleſiæ „propria noluerit, convenit ut omnes omnino una conniventia, „ſimul cùm noſtris Abbatibus ac Presbyteris, vel Clero, qui ſti„pendiis ex ipſo alimento paſcuntur, quia arma nobis non ſunt „alia, auxiliante Chriſto, circumſepto Clericali choro, necatori „pauperum, qui res pervadit Eccleſiæ, Pſalmus CVIII. dicatur, „ut veniat ſuper eum illa maledictio quæ ſuper Judam venit, qui „dum loculos faceret, ſubtrahebat pauperum alimenta: ut non ſo„lum excommunicatus, ſed etiam anathematizatus, moriatur, & cæleſti gladio feriatur".

60. Et ut videatis qualiter ſubditos cenſuerint Galliæ Prælati liberari ab obſequiis: ecce quod ſtatuit Concilium Antiſiodorenſe anno Chriſti 578. can. 39.

Si quis Presbyter, aut quilibet de Clero, aut de populo excommunicatum abſque voluntate ipſius, qui eum excommunicavit, ſciens receperit, aut cum illo panem manducaverit, vel colloquium habere decreverit, ſimili ſententia ſubjacebit.

Alia videbimus paulò infra in hac *Conſultatione.*

61. Anno Chriſti 630. in Conc. Rhemenſi renovatum eſt id, quod fuerat in anterioribus Canonibus ſtatutum, & dictum fuit: *Si quis homicidium ſponte commiſerit, & non violentiæ reſiſtens, ſed vim faciens impetu hoc fecerit, cum iſto penitus non communicandum: ſic tamen, ut ſi pœnitentiam egerit, in exitu ei Communionis Viaticum non negetur.*

In Cabilonenſi quod celebratum fuit anno 650. & cui ſubſcripſerunt Epiſcopi 43. ita can. 9. decernitur: *Pietatis eſt maxima & religionis intuitus, ut captivitatis vinculum omnino à Chriſtianis redimatur. Vndè Sancta Synodus noſcitur cenſuiſſe, ut nullus mancipium extra fines vel terminos, qui ad Regnum Domini Chlodovei Regis pertinent, penitus debeat venumdare: ne quod abſit per tale commercium, aut captivitatis vin-*

F *culo,*

culo, vel quod pejus eſt, Iudaica ſervitute, mancipia Chriſtiana teneantur implicita.

62. Sæculo 8. ſeu anno 747. Pipinus Major domus Franciæ miſit viginti ſeptem Capitula ad Zachariam Pontificem, eundem conſulens, & reſponſum flagitans. Super ſeptimo ita reſpondit Zacharias: *de Laico pellente ſuam conjugem, ex Canone Sanctorum Apoſtolorum cap.*48. *Si quis Laicus uxorem propriam pellens, alteram vel ab alio dimiſſam duxerit communione privetur.*

In tomo 2. eorundem Concil. Galliæ ad Annum 787. ita legitur: ſub finem anni D. CC. XXCVI. *Carolus, ut Scriptores tradunt, cum Bellis omnibus defunctus pace integra frueretur, itineris Romani orandi cauſa Conſilium ſuſcepit, ſimul ut Italiæ res eadem opera componeret. Ergo iter ingreſſus, Natali Domini apud Florentiam acto, Romam ineunte anno D.CC.XXCVII. venit, & honorificè ab Adriano Papa ſuſceptus eſt, indè Pontificis rogatu adversùs Arigiſum Beneventanum Ducem profectus, cum Capuam intraſſet, conſultu Sacerdotum & optimatum, ne Epiſcopia & Monaſteria devaſtarentur, vi abſtinuit, ac receptis ad Fidei Sacramentum Beneventanis, & Arigiſo Duce XII. cum Grimoaldo Filio, quos imperarat, Romam rediit, & Paſcha cum Adriano celebravit. Quo tempore Taſſilonis Bajoariorum Ducis*, ejuſque legatorum fraus *deprehenſa, qui Adrianum, ad quem miſſi fuerant, obteſtati ut Duci ſuo pacem à Carolo impetraret, cum paratum ad pacem animum Carolus oſtendiſſet, negarunt ſe pro Domino ſuo paciſci poſſe, vel ad hoc deſtinatos eſſe. Quare* diræ in Taſſilonem, ejuſque ſocios à Pontifice conjectæ, niſi fidelitatem, *quam Pippino & Filio ejus Carolo promiſerant, obſervarent.*

Idem fuit ſenſus Prælatorum Galliæ, qui ſæculo 9. rexerunt Eccleſiam: Undè in Concil. Turonenſi 3. quod poſtulante Carolo Magno celebratum eſt anno 813. ita legitur Can. 41. *Inceſtuoſi, parricidæ, homicidæ multi apud nos, heu proh dolor! reperiuntur: ſed aliqui ex illis, Sacerdotum nolunt admonitionibus aurem accommodare, volentes in priſtinis perdurare criminibus: quos oportet per ſæcularis potentiæ diſciplinam, à tam prava conſuetudine coërceri, qui per ſalutifera Sacerdotum monita noluerant revocari. Quorum aliquos jam excommunicavimus.*

Authoritatis ſuæ rationem dant Galliæ & aliarum Provinciarum Epiſcopi ſub Ludovico Pio Imperatore in celebri illo Aquiſgranenſi Concilio 2. in quo dicunt: *Petimus humiliter veſtram excellen-*

cellentiam, ut per vos Filii, & Proceres veſtri, nomen, poteſtatem, vigorem & dignitatem Sacerdotalem cognoſcant. Quod ex verbis Domini facilè intelligere poſſunt, quibus B. Petro, cujus vicem indigni gerimus, ait: quæcumque ligaveris ſuper terram erunt ligata in cœlo. Et alibi diſcipulis generaliter dicit. Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.

63. Rogo perpendite ulterius quod eodem ſæculo ſeu anno 849. in Concilio Lugdunenſi 4. dixerunt Metropolitani Galliæ quatuor cum novemdecim ſuis Suffraganeis adverſus Nomenoium Britanniæ gentis Ducem. " *Deus occulto, juſto tamen judicio,* ,, *permiſit ſe eſſe Rectorem gentis tuæ.* In quo tamen regimine qualem ,, te exhibueris, teſtis eſt conſcientia tua, & amaræ quærimoniæ ,, diverſarum Eccleſiarum, & afflictiones nobilium & ignobilium, ,, divitum & pauperum, viduarum & orphanorum, quos damnabili cupiditate, & horribili crudelitate vexaſti. Sed quia Chriſtianum nomen non penitus abjeciſti, & nos ex Apoſtolica ſucceſſione debitores ſumus omnibus, ut bene agentes ad perſeverantiam exhortemur, delinquentes autem ad pœnitentiam ,, authoritate divina provocemus; vehementiſſime tuis exceſſibus condolemus, & à tuo intuitu paterna & Epiſcopali ſolicitudine te cupimus revocare. Cupiditate tuâ vaſtata eſt terra ,, Chriſtianorum, templa partim deſtructa, partim incenſa cum ,, Sanctorum Oſſibus, cæteriſque Reliquiis. Poſſeſſiones Eccleſiarum, quæ fuerunt vota fidelium, redemptio animarum, patrimonia pauperum, illicitè in tuos uſus redactæ..... Satis hæc ,, ad tuam perditionem ſufficiebant. Sed ad cumulum malorum ,, auxiſti temeritatem, & omnem læſiſti Chriſtianitatem, *dum Vicarium Beati Petri Apoſtolicum, cui dedit Deus Primatum in omni orbe* ,, *terrarum, ſpreviſti.* Cum enim eum poſtulaſſes, ut in libro ſuo ,, te ſcriberet, & pro te Dei clementiam exoraret, & ille directis ,, litteris ſe id facturum promiſiſſet, ſi ſe monentem obedienter ,, audires: non ſolum nihil eorum quæ mandaverat feciſti, ſed ,, ne litteras quidem ipſas recepiſti. Et quia nolebas à malo deſinere, timuiſti bene monentem audire. In eò igitur læſiſti ,, Apoſtolos quorum eſt Princeps Petrus; læſiſti Epiſcopos, qui ,, jam cum Deo regnant in Cælis, & miraculis coruſcant in terris:

Digitized by Google

„ terris: læſiſti & nos, qui etſi non habemus eorum meritum
„ idem tamen divina gratia poſſidemus officium...... Cogita quid
„ mereatur qui ſcandalizaverit unum de puſillis, & ita poteris
„ colligere quam ingentem ſis perlaturus, niſi reſipueris, damna-
„ tionem, qui partem maximam populi Chriſtiani graviſſimè per-
„ turbaſti. Quamobrem monemus te, obſecramus obteſtamurque
„ tuæ ſalutis cupidi, pone finem malis tuis, convertere ad Do-
„ minum, cujus nemo noſtrum poteſt effugere judicium. Fac
„ fructus dignos pœnitentiæ: hoc eſt, quia granditer deliquiſti,
„ granditer bona exerce: ut non ſolum non torquearis cum dia-
„ bolo & reprobis in inferno; verum etiam gaudeas cum Deo &
„ electis ejus in Cælo. Id tibi quoque pollicemur, quia ſi te Deo
„ reſtitueris, apud eum interceſſores pro peccatis tuis eſſe cupi-
„ mus, & apud Pium Principem noſtrum, ut tibi tuæque poſte-
„ ritati benignè conſulat, conabimur obtinere. Maximum reatum
„ te contraxiſſe ſcimus, *quod epiſtolam Sedis Apoſtolicæ reſpuiſti, exiſti-
„ mans aliqua in eâ tibi noxia contineri.* Quod ſi eum non receperis,
„ nos qui monuimus excuſabiles erimus. Sin autem receperis &
„ Dominum & Beatum Petrum propitios, & nos habebis in fide
„ conjunctos, & interceſſores proficuos. Si verò non benignè
„ monentes contempſeris, certum tibi ſit nunquam tibi futurum
„ locum in Cælo, & citò non futurum in terra: quod tua culpa
„ ſeparatus ab Apoſtolica & noſtra ſocietate, Anathematis ultio-
„ ne, locum habebis (quod avertat Deus) in tartaro. Hæc etiam
„ per tuum miniſterium denuntiamus Lantberti hominibus, &
„ quibuſlibet gentis tuæ: quod ſi communicaverint ipſi, & re-
„ bellioni ejus conſenſerint, anathemate condemnabuntur, &
traditi ſatanæ ſine fine peribunt".

64. Videtis Confratres mei quomodo etiam prædicti Epiſcopi inhibeant, ne alii cum excommunicato communicent, prout etiam in Concilio Tuſiaco ſtatuerunt 57. Epiſcopi his verbis: "De his etiam, qui rapinas exercent, incendia, ſtupra inaudita
„ committunt, cædes & homicidia perpetrant, res Eccleſiarum
„ ſubtrahunt atque diripiunt, quantum ad judicium noſtrum atti-
„ net, volumus, ut ſive Auctores tanti Criminis, ſive Fauto-
„ res eorum qui cum eis collecti participant, à ſacro miſſarum of-

„ ficio,

„ficio, à foribus Eccleſiarum, ab omni ſocietate Chriſtiana, uſ-
„que dum pœnitentiæ ſe humiliter ſubmittant, removeantur.
„Invicem ſibi Epiſcopi pro his ſcripta tranſmittant, quatenus
„omnes ſciant cum talibus damnatis nullam communicationem
„habere: parique ſententia teneatur obnoxius, qui poſt interdi-
„ctum cum eis communicaverit".

65. Denique ut plurima ſimilia hoc ſæculo facta omittam, ecce quid in Concilio Tricaſſino ſecundo, cui ſubſcripſerunt 30. Galliæ Epiſcopi, Decretum fuit, & ab illis reſponſum Joanni 8. Summo Pontifici: 'Domine Sanctiſſime & reverendiſſime Pa-
„ter Patrum Joannes Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ, vi-
„delicet Romanæ, primæ Sedis Papa, nos famuli ac diſcipuli
„veſtræ auctoritatis, Galliarum & Belgicarum Epiſcopi, his,
„quæ ſuper vulnera dolorum veſtrorum maligni homines ac mi-
„niſtri diabolici addentes, in Sanctam Matrem noſtram ac Ma-
„giſtram omnium Eccleſiarum commiſerunt, compatimur, &
„dolori veſtro conflentes condolemus, atque judicium veſtræ
„auctoritatis, quod privilegio B. Petri & Sedis Apoſtolicæ, in
„eos, *Et complices eorum, juxta Sacros Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos,* "& ſecundum ejuſdem Romanæ Sedis Pontificum deceſſorum veſtrorum decreta protuliſtis, voto
„voce, & unanimitate noſtra, atque auctoritate S. Spiritus, cujus
„gratia in Epiſcopali Ordine ſumus conſecrati, gladio Spiritus,
„quod eſt Verbum Dei, eos interimentes perſequimur. Scilicet
„quos excommunicaſtis, excommunicatos tenemus; quos ab Ec-
„cleſia abjeciſtis abjicimus; quos anathemizaſtis, anathemizatos
„eſſe judicamus, & quos regulariter ſatisfacientes veſtra aucto-
ritas & Apoſtolica Sedes receperit recipiemus".

66. Sæculo 10. ſeu anno Chriſti 909, in Concilio Trofleano, Præſidente Herivæo Rhemenſi Archi-Epiſcopo, ita quoque ſtatutum: *Nullus Sacrilegus Regnum Dei poſſidebit, niſi per puram probatamq; & publicam pœnitentiam, & Sanctæ Eccleſiæ, ejus præcipue quam læſit, ſatisfactionem, atque per manus impoſitionem Epiſcoporum & reconciliationem. Et ut noverint ſe à Regno Dei, & à conſortio Sanctorum, qui jam cum Chriſto regnant, & in æternum cum eo regnabunt, in futuro alienandum, à præſenti quoque Eccleſia, quæ & ipſa Regnum Dei, & à ſocietate fidelium*

 ejus

Digitized by Google

ejus in Deo alienatur: ut quiſquis ille eſt, pro certo hoc ſciat, quia tali, niſi per ſatisfactionem condignam, nec vivo nec mortuo Eccleſia non communicat.

67. Ex alio ejuſdem ſæculi Troſleano Concilio ſub Joanne Papa X. præſente Carolo Simplici, Galliarum Rege, conſtat *Erlebaldum Comitem Caſtrilocenſem* fuiſſe excommunicatum ab Archi-Epiſcopo Rhemenſi. Qua de re in tertio Tomo *antiquorum Conciliorum Galliæ*, in quo hæc referuntur: *Heriveus Præſul Erlebaldum Comitem, propter Remenſis Epiſcopii terram, quam pervaſerat, ibique munitionem quandam ſuper conſtruxerat, indèq; frequentia Eccleſiaſticæ familiæ mala ingerebat: Inſuper & in Caſtrum Altmontem furtim irruperat. Sed cum nec ita ceſſaret à malis, quæ cœperat, pergit Archi-Epiſcopus cum ſuis ad capiendam munitionem, quam ille conſtruxerat, Maceriaſq; nominabat. Quam per quatuor penè hebdomadas obſidens, deſerente tandem Erlebaldo, cepit: & diſpoſitis inibi cuſtodiis, Rhemos rediit. At Erlebaldus profectus ad Regem, qui tunc morabatur in Pago Wormacenſi contra Henricum Principem Tranſrhenenſem, ibidem ab hoſtibus Regis ſibi ſupervenientibus interemptus. Quem tamen poſtmodum in Synodo, quam apud Troſleium idem Dominus Archi-Epiſcopus cum ſuis habuit, intercedente Rege & obnixè flagitante, à vinculo excommunicationis abſolvit.*

Sub eodem Ioanne Pontifice habitum eſt tertium Concilium apud Troſleium, in quo Comes Iſaac antea excommunicatus, tandem reſipiſcens, indictâ ipſi mulcta, abſolutionem obtinuit. Sic enim in dicto tomo 3. refertur: *Synodus Epiſcoporum Remenſis diœceſis apud Troſleium, Octobri menſe habita, Seulfo Archiepiſcopo præſidente: in qua Iſaac Comes ad emendationem & ſatisfactionem venit pro his, quæ pravè adverſus Eccleſiam Cameracenſem perpetraverat: & vadatus argenti libras centum pacatur cum Stephano præfatæ urbis Epiſcopo, præſente Heriberto, & pluribus, qui aderant, Franciæ Comitibus.*

68. Solemnis etiam fuit excommunicatio illa, quæ authoritate Stephani octavi Papæ lata eſt in Galliæ & Burgundiæ Proceres, in favorem Ludovici IV. Galliarum Regis. De qua Flodoardus in *Chronico* ità ſcribit: *Anno 942. Legatus Stephani Papæ nomine Damaſus, Epiſcopus Romæ ob legationem peragendam ordinatus, in Franciam venit, adſerens litteras Apoſtolicæ Sedis ad Principes Regni, cunctoſq; Franciæ vel Burgundiæ habitatores, ut recipiant Regem ſuum Ludovicum. Quod ſi neglexerint, & eum amplius hoſtili gladio perſecuti fuerint, excommu-*

communicationis depromens interminationem. Pro qua re colloquentes Epiſcopi Remenſis diœceſeos cum Heriberto Comite, deprecati ſunt eum, ut intercederet apud Hugonem Principem pro receptione Regis. Legati Remenſis Eccleſiæ Roma regreſſi pallium deferunt Hugoni Epiſcopo ab Stephano Papa tranſmiſſum. Cum quibus pariter & legatio venit Principibus Reperi; ut Ludovicum Regem recipiant, & ſic legatos ſuos Romam dirigant. *Quod ſi uſque ad Nativitatem Domini facere non procuraverunt, excommunicandos tunc fore ſe noverint.*

69. De actis ſæculo XI ita ſcribitur in Hiſtoria Trevirenſi: "Everardus Trevir. Archiëpiſc. dum Diœceſes viſitat, captus eſt, „ veſtimenta Sacerdotalia à militibus direpta, pallium diſcuſſum, „ Corpus Dominicum violatum & in terram projectum, Chriſma „ unctionis effuſum eſt, Epiſcopis in Luzelemburch ad cuſto„ diam delatis. Treberi nihil eorum quæ ad divinum officium „ pertinent celebrare voluerunt, donec Romanum Pontificem „ de hac re per Internuntios interpellarent. Interim Conradus „ Comes compulſus à plurimis Epiſcopum dimiſit. Romanus „ Pontifex Conradum excommunicavit, & Everardo abſolven„ dum commiſit, qui tandem pœnitens Treberim venit, & hu„ militer à Pontifice abſolutionem petiit & impetravit, & ad ſa„ tisfactionem quædam bona Sancto Petro contradedit.

70. Anno 1037. Quid in Concilio Lemovicenſi ſecundo Galliæ Epiſcopi fecerint, docent ipſimet dum dicunt: "excom„ municamus illos milites de iſto Epiſcopatu Lemovicenſi, qui „ pacem & juſtitiam Epiſcopo ſuo firmare, ſicut ipſe exigit, no„ lunt, aut noluerunt. Maledicti ipſi & auditores eorum in ma„ lum: Maledicta arma eorum, & caballi illorum; erunt cum „ Cain fratricida, & cum Juda traditore, & cum Dathan & Abi„ ron, qui vivi introierunt in infernum. Et ſicut hæ lucernæ „ extinguuntur in oculis veſtris, ita gaudium extinguetur in „ conſpectu Sanctorum Angelorum, niſi ante mortem ad ſatis„ factionem atque emendationem, ſive pœnitentiam dignam, ve„ nerint in judicium Epiſcopi ſui. Omnes Epiſcopi & Preſbyteri „ candelas ardentes in manibus tenentes, mox eas in terram pro„ jicientes extinxerunt. Ad quod verbum cor populi valdè ex„ pavit, & omnes clamaverunt, dicentes: ſic extinguat Deus lætitiam eorum qui pacem & juſtitiam ſuſcipere nolunt". 71.

Digitized by Google

71. Teſtantur quoque Francorum Hiſtoriæ, *quod anno 1094. in Galliarum Civitate, quam Oſtionem dicunt, congregatum eſt Generale Concilium à Venerando Hugone Lugdunenſi Archi-Epiſcopo, & Sedis Apoſtolicæ Legato, cum Archi-Epiſcopis & Abbatibus diverſarum provinciarum 17. Kalendas Novembris. In quo Concilio renovata eſt excommunicatio in Henricum Regem*, & in Guibertum *Sedis Apoſtolicæ invaſorem, & in omnes eorum complices. Item Rex Galliarum Philippus excommunicatus eſt, eo quod vivente uxore ſua alteram ſuperinduxit. Item Simoniaca hæreſis ſub excommunicatione damnata eſt.*

De effectu porro excommunicationis ita eodem ſæculo decreverant in Concilio Toloſano Galliæ Epiſcopi can. 13. *Cum excommunicatis ullam participationem, vel ſocietatem habentem præcipuè, excommunicamus, niſi correctionis vel admonitionis cauſa, ut ad Fidem redeant Catholicam.* Si qui autem adjuvantes eos defendere conati fuerint, vinculo ſimul *excommunicationis cum eis ſubditi permaneant.*

72. Iſta excommunicatio renovata eſt in Concilio Claremontano ſub Urbano II. anno 1095. in quo 13. aderant Archi-Epiſcopi cum ſuis Suffraganeis. Sic tradunt Hiſtorici, inter quos Bertholdus ſcribit: *In Galliis ad Clarum montem Synodus Generalis à Domino Papa in Octava S. Martini congregata eſt, in qua tredecim Archi-Epiſcopi cum eorum Suffraganeis fuerunt, & ducentæ quinque paſtorales virgæ.*

In hac Synodo Dominus Papa eadem ſtatuta, quæ & in præterita Synodo Placentina, confirmavit. Inſuper & Philippum Regem Galliarum excommunicavit, eo quod propria uxore dimiſſa, militis ſui uxorem ſibi in conjugium ſociavit. Ibi etiam aliam Synodum in tertiam ſubſequentis Quadrageſimæ hebdomadam Turonis celebrandam *denuntiavit.* Hæc ipſe. Eadem de excommunicato Rege refert Sigebertus. Sed & Bertradam Regiam pellicem eadem excommunicatione mulctatam Willelmus in rebus Anglicis tradit. Alia plura in Reges & Principes à Sanctis Patribus & Pontificibus latarum excommunicationum exempla refert Gregorius VII. Epiſt. 2.

73. Quinimo ſæculo duodecimo graviſſimè tulerunt Galli quod Excommunicationis ſententiam, quam ob violatam Eccleſiaſticam libertatem promeritus fuerat Henricus II. Angliæ Rex, Pontifex differret fulminare, vel fulminationem à Sancto Thoma

Cantua-

Cantuarienſi Archiepiſcopo vibrandam ſuſpenderet. Undè Galliæ Regina eidem Alexandro III. inter cætera ſcripſit: *Per noviſſimos ſuos nuntios obtinuit Rex Angliæ litteras, ſi tamen adulteratæ non ſunt, patentes, quibus ſtatuiſtis, ut Cantuarienſis Archiepiſcopus, qui jam quadriennio pro juſtitia exulavit, ſententiam ferre non poſſit in eum, vel in terram ejus, nec gravamen inferre alicui perſonæ de terra ſua, donec in ipſius gratiam reſtituatur. Nonne, Pater, ex his litteris habere videtur authoritatem impunè peccandi, & Archi-Epiſcopum perpetuo proſcribendi. Nam de cætero in arbitrio ejus erit eum recipere. Hinc adeo ſcandalizata eſt apud nos tota Eccleſia, ut magis turbari non poſſit: quia malum exemplum omnibus principibus datum eſt. Dominus meus Rex, cui Archi-Epiſcopum tradidiſtis, turbatur plurimum, quod inter manus ejus, ſi tamen in hac ſententia perſtiteritis, innocens jugulatur. Dolet Regnum totum, exſpectat adhuc Dominus meus Rex exitum promiſſionis veſtræ, quam niſi citius viderit adimpleri &c.*

Refertur hæc epiſtola lib. 6. Epiſtolarum Divi Thomæ Cantuarienſis. Extantque in eo tomo plurimæ aliæ Regis, Procerum, & Epiſcoporum Galliæ, in eandem rem epiſtolæ. Unam tantum addam Carnotenſis Epiſcopi ad eundem Alexandrum III. & relatam in eodem tomo pag. 406.

"Non eſt inter Reges & Principes, qui benignus exaudiat preces veſtras, qui mandatis obediat humilius, qui Eccleſiam & Viros Eccleſiaſticos devotius honoret, & ſtudioſius tueatur, Chriſtianiſſimo Rege noſtro. Non eſt Eccleſia, quæ Romanæ Eccleſiæ fuerit utilior in omnibus anguſtiis ſuis, quam Gallicana. Supplicaverunt vobis Eccleſia & Rex pro Domino Cantuarienſi, qui pro libertate Eccleſiæ & Majeſtatis veſtræ dignitate tuenda exul & proſcriptus jam quartum explet annum, agit apud vos contra eum Tyrannus, Eccleſiæ Perſecutor manifeſtu, Hoſtis Regni Francorum, cujus iniquitas omnibus nota eſt & tamen quod dicere verecundor, & doleo accidiſſe, prævaluit hactenus in malitia & vanitate ſua. Siquidem nuper cum ad colloquium Chriſtianiſſimi Regis accederet, & per Comitem Flandrenſem, qui illuc Dominum Cantuarienſem traxerat, de pace Eccleſiæ reformanda ſollicitaretur, literas Apoſtilicas in audientia Epiſcoporum ſuorum, & Procerum legi fecit, quibus ſtatuebatur, *Ne præfatus Cantuarienſis in ipſum aut terram ſuam ſententiam ferre poſſit, aut*

aliquod gravamen alicui perſonæ de terra ſua inferre, donec redeat in gratiam ejus. Quo audito Chriſtianiſſimus Rex confuſus eſt, & totum Regnum, omneſq; filii Eccleſiæ doluerunt virum juſtum, Pontificem reverendum, ſine cauſa ſuſpendi, & ab Apoſtolica Sede manaſſe ſcriptum tam pernicioſum exemplo.

74. Si lubet etiam Reginæ Angliæ ipſiuſque Regni Anglicani, intelligite judicium. Reperietis illud inter epiſtolas Petri Bleſenſis ad Celeſtinum contra Fredericum Imperatorem: contra quem Sedis Apoſtolicæ auxilium & ultionem poſtulat: " Gentes ,, divulſæ, populi lacerati provinciæ deſolatæ, & generaliter tota ,, Occidentalis Eccleſia confecta lamentis, in ſpiritu contrito & ,, humiliato ſupplicat vobis, quem conſtituit Deus ſuper gentes ,, & regna (Nota) *in omni plenitudine poteſtatis.* Afflictorum quæſo ,, clamor introeat in aures veſtras. Calamitates enim noſtræ mul-,, tiplicatæ ſunt ſuper numerum, nec iſta diſſimulare poteſtis citra ,, criminis & infamiæ notam, cum ſitis Vicarius crucifixi, Suc-,, ceſſor Petri, Sacerdos Chriſti, Chriſtus Domini, Deus etiam ,, Pharaonis. *Et infrà:* Ubi eſt zelus Eliæ in Achab? Zelus Joan-,, nis in Herodem? Zelus Ambroſii ad Valentem? Zelus Alex-,, andri III. qui ſicut audivimus & vidimus, patrem iſtius Princi-,, pis Fredericum, plena authoritate Apoſtolicæ Sedis, à fidelium ,, communione præcidit? Verba reputat legem Dei. Scriptum ,, eſt enim: *Qui vos ſpernit me ſpernit.*

75. His addam quod ad Celeſtinum III. ſcripſit adverſus Angliæ tunc temporis Regem Epiſcopus Beluacenſis ab eodem Rege captus & detruſus in carcerem.

" Captum quidem ibi (in Anglia) ſum, & vinculis gravibus & " catenis addictus; nec Ordinis dignitas; nec Dei reverentia re-" medii aliquid vel mitigationis mihi conſulerunt. Taliter ergo " Rex Angliæ in Chriſtum Domini more lupino ſævire non for-" midavit; nec veſtris auribus incognitum exiſtimamus. Quid ergo " diſſimulatis? Quis pater videret filium errare, & taceret? Deſ-,, perat pater de filio, cum comminatione non corripit vel fla-" gello. Luce quidem clarius elucet, quod Rex Angliæ, cæteri-" que complices ſui, qui violenter manus in nos injecerunt, in " dictæ ſententiæ Canonem inciderunt, injurias nobis & mole-

ſtias

" ſtias enormiter illatas veſtræ paternitati lacrymabiliter inſinua-
" mus lacrymis noſtris: ut petitioni clementer condeſcendatis.
" Indignum eſt ſiquidem ſubjectorum petitionem ad vos directam
" vacuam reverti & inanem, quæ & humilitatem redolet, & ra-
" tionis ſubnixa eſt præſidio. Nec immunis eſt à culpa, qui cum
" poteſt corrigere, diſſimulat emendare; nec caret ſcrupulo ſocie-
" tatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare. Licet
" igitur verba doloris totiens multiplicaverim, Pater ſancte, ne
" miremini. Neſcit, imo nequit, pectoris clauſtro dolor aſſiduus
" ſepeliri.

76. Omitto acta in Imperatores Fredericum I. Fredericum II. Henricum IV. Henricum V. Petrum Regem Aragonum & alios exteros; qui propter publica facinora ſæpius moniti, tandem excommunicati ſunt, & ab obedientia & fidelitate abſoluti ſubditi: & alii probante etiam Eccleſia Gallicana, per electionem vel Succeſſorem ſurrogati ſunt. Præcipuè me intra Galliæ terminos contineo, ac dico ipſoſmet Galliæ Reges cenſuiſſe quod non eſſent exempti ab Eccleſiæ cenſuris & pœnis, etiam interdicti & excommunicationis. Ac propterea Summis Pontificibus ſupplicarunt, ne in ipſos, ipſorum Capellas, & Terras ſententia ejuſmodi ab inferioribus Eccleſiæ Prælatis ferretur, inconſulta ſancta Sede. Ita ſupplicuit S. Ludovicus, cui Gregorius IX. in hunc modum reſcripſit:

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Chariſſimo in Chriſto Filio Ludovico Regi Franciæ Illuſtri Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Illa Filialis devotio & dilectio ſingularis, quam claræ memoriæ Progenitores tui erga Prædeceſſores noſtros & Romanam Eccleſiam habuerunt, in qua tu illi hæres legitimus hæreditario jure ſucceſſiſti, nos in eo conſtituit propoſito voluntatis, ut in his quæ à nobis ſecundùm Deum Celſitudo Regia duxerit poſtulanda, devotis precibus benignum impartientes aſſenſum, auctoritate præſentium firmiter inhibemus, ut nulli liceat capellas tuas Eccleſiaſtico ſupponere interdicto niſi de licentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, ſe noverit incurſurum.

Extat hæc Epiſtola apud d'Acherium tomo 6. pag. 484. uti & duæ

Digitized by Google

duæ ſequentes ab Alexandro IV. ad eundem Sanctum Ludovicum datæ:

77. Alexander &c. Regi Franciæ, &c. *Illo charitatis affectu Regalem Excellentiam amplexamur, & ſic te tamquam ſpiritualem ac devotum Eccleſiæ Romanæ Filium ſincero corde diligimus, & votis tuis favorabiliter annuentes, petitiones Regias quantum cum Deo poſſumus ad exauditionis gratiam admittimus. Hinc eſt quod tuis devotis ſupplicationibus benignum impartientes aſſenſum, auctoritate tibi præſentium indulgemus, ut nullus poſſit in terram tuam excommunicationis vel interdicti ſententiam promulgare abſque mandato vel licentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali. Nos enim decernimus irritum & inane ſi quid ſuper hoc contra hujuſmodi noſtræ conceſſionis tenorem contigerit attentari. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Laterani 2. Cal. Aprilis, Pontificatus noſtri anno 2.* Et iterum.

Alexander &c. Regi Franciæ &c. *Et cum illo caritatis affectu &c. Hinc eſt quod tuis devotis ſupplicationibus benignum impartientes aſſenſum auctoritate, tibi præſentium indulgemus, ut nullus ArchiEpiſcopus, ſeu quilibet alius Prælatus, poſſit in terram tuam excommunicationis vel interdicti ſententiam promulgare abſque mandato & licentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali. Nos enim decernimus, &c. Nulli ergo &c. Si quis autem &c.*

78. Hoc privilegium ſeu exemptionem à Cenſuris per Galliæ Prælatos inferendis abſque Speciali Sedis Apoſtolicæ Mandato, Joannes Franciæ Rex & Joanna Regina anno 1351. Petierunt à Clemente VI. confirmari & ad ipſorum ac Succeſſorum Principum perſonas extendi: quibus Pontifex epiſtola quæ extat apud d'Acherium *tomo 2. p.* 281. reſpondit.

Clemens &c. Chariſſimis in Chriſto Filiis, *Ioanni Regi, & Ioannæ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Ob veſtrorum exigentia meritorum, quibus vos largitor bonorum omnium inſignivit, libenter illa vobis concedimus*, per quæ non ſolum veſter, ſed & Succeſſorum veſtrorum *ſtatus tranquillo pacis munimine fulciatur. Veſtris itaque ſupplicationibus inclinati, ut nullus in veſtras, & Succeſſorum veſtrorum Regum & Reginarum Franciæ, qui pro tempore fuerint, & veſtrorum & eorum natorum, exiſtentium ſub patria tamen poteſtate, perſonas excommunicationis aut interdicti ſententias promulgare, aut vobis ſeu ipſis ingreſſum Eccleſiæ interdicere valeat abſque Sedis Apoſtolicæ ſpeciali Mandato, faciente plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de hac indul-*

gentia

gentia mentionem, vobis & eiſdem Succeſſoribus in perpetuum auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Nulli &c. Si quis, &c.

Nec cenſuerunt Reges Galliæ Sedis Apoſtolicæ Sententias eſſe contemnendas: ſed ne à ſubditis ſuis ulterius defererentur, Eccleſiæ ſatisfecerunt, & abſolutionem humiliter petentes promeriti ſunt. Nihil dicam de Henrico IV. & aliis paulo ante ipſum Galliæ Regibus. Retrocedam ad antiquiora tempora, & ea quæ ab aliquibus minus nota ſunt.

Sub finem Sæculi undecimi Philippus Galliæ Rex propter illicitam cum Bertrada conjunctionem excommunicatus, non aliter fuit per Authoritatem Paſchalis ſecundi abſolutus, quam mediante pœnitentia. Ecce quod refert d'Acherius tomo 3. pag. 129.

"Paſchalis Epiſcopus &c. Significatum eſt nobis quorumdam „ veſtrorum litteris, quia filius noſter Rex Fœminam illam „ pro qua totiens commonitus, imò excommunicatus fuit, juxta „ præceptum noſtrum abjurare decreverit. Ipſa etiam mulier „ Regem abjurare parata ſit. Super quarum converſione Perſo- „ narum non minimum exultavimus, quia ſuper uno peccatore „ pœnitentiam agente gaudium eſſe Angelis Deo ipſo Domino „ teſtante didicimus. Quam nimirum cauſam Fratri noſtro Ri- „ chardo Albanenſi Epiſcopo reminiſcimini à nobis fuiſſe com- „ miſſam. Si ergo idem Frater Franciæ jam fines egreſſus eſt, „ nos eandem cauſam, aſpirante Domino, una vobiſcum pera- „ gendam Venerabili Fratri Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo „ committimus. Convenientibus itaque vobis in unum ſi com- „ munis Filius Francorum Rex, & illa ejus lateralis, tactis Sacro- „ Sanctis Evangeliis omnem carnalis copulæ conſuetudinem „ abujuraverint, mutuum quoque colloquium & contubernium, „ niſi ſub teſtimonio perſonarum minimè ſuſpectarum, nunquam „ videlicet ad idem flagitium redituri, ſicut quorumdam veſtrum „ litteris ſignificatum eſt, ſatisfactionem eorum vice noſtra vo- „ biſcum Atrebatenſis Epiſcopus ſuſcipiat, & à vinculo excom- „ municationis abſolvat, quatenus largiente Domino & filium „ Eccleſia, & Regem ſibi Francia reconciliatum Epiſcopali Mi- „ niſterio gratuletur. Data Laterani per manum Joannis No- „ nas octobris.

Digitized by Google

JURAMENTUM PHILIPPI REGIS FRANCORUM.

"Audias, *tu Lamberte* Atrebatenſis Epiſcope, qui hic Apoſto-
,, lica vice fungeris: Audiant Archi-Epiſcopi, & præſentes Epiſ-
,, copi, quod ego Philippus Rex Francorum peccatum & conſue-
,, tudinem carnalis & illitæ copulæ, quam hactenus cum *Bertrada*
,, exercui, ulterius non exercebo, ſed peccatum iſtud & flagi-
,, tium penitus & ſine omni retractatione abjuro. Cum eadem quo-
,, que fæmina mutuum colloquium & contubernium, niſi ſub te-
,, ſtimonio perſonarum minimè ſuſpectarum, non habebo; hæc
,, omnia ſicut Literæ Papæ dicunt, & vos intelligitis, ſine omni
,, malo ingenio obſervabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sacro-
,, Sancta Jeſu Chriſti Evangelia. Similiter & *Bertrada* cum ex-
,, communicationis vinculo ſolveretur, tactis Sacro-Sanctis Evan-
geliis in perſona ſua hoc idem juravit Sacramentum".

"Actum Pariſiis in præſentia Domini Daimberti Senonenſis,
" & Radulfi Turonenſis Archi-Epiſcoporum; Domini quoque
" Ivonis Carnotenſis Epiſcopi, Humbaldi Autiſiodorenſis Epi-
" ſcopi, Gualonis Pariſienſis Epiſcopi, Manaſſe Meldenſis Epi-
" ſcopi, Baldrici Noviomenſis Epiſcopi, Lamberti Atrebatenſis
" Epiſcopi, Huberti Silvanectenſis Epiſcopi: Abbatum quoque
" Adæ Pariſienſis, Olrici ſimiliter Pariſienſis, Rainoldi Stam-
" penſis: Archi-Diaconorum etiam quam plurium; & honora-
" bilium Clericorum, & Laicorum non parva multitudine inibi
conſiſtentium".

"Taliter itaque ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate reincorpora-
" tus eſt Philippus Rex Francorum S. Catholicæ Eccleſiæ Matri
" ſuæ 4. Nonas Decembris, indictione XIII. anno autem Dei
" Chriſti M. C. IV. Pontificante verò in Sede Romana Domino
Paſchali Papa II. anno ſexto". Hactenus illa retulit d'Ackerius,
cujus opera, ſeu collectanea ex variis Archivis, impreſſa ſunt in
Gallia cum privilegio Regio.

79. Sequitur ordine ſæculum 15. in quo Venerabiles illi apud
vos, Patres Baſileenſis Conciliabuli hæc Seſſ. 38. decreverunt.

"Hæc Sancta Synodus diſtrictius inhibet, præcipit atque man-
" dat omnibus & ſingulis, cujuſcumque dignitatis, etiamſi Cardi-
" nalatus, Patriarchalis, Pontificialis, aut alterius cujuſcumque
Eccle-

" Eccleſiaſticæ vel ſæcularis, etiamſi Univerſitates, *communita-* " *tes* vel Collegia fuerint, ne privatum libellum publicare, præ- " dicare, approbare, ſeu defendere præſumant, ſeu eidem quoviſ- " modo aſſentire, credere, aut favere, vel eo uti, ſeu utentibus eo " conſilium, axilium, vel favorem præſtare, neque etiam præ- " tenſis cenſuris, ſeu ſententiis innovationis, declarationis, dam- " nationis, reprobationis, nuntiationis, confirmationis & diſ- " poſitionis in eodem libello quomodolibet contentis, quas nul- " las ac nullius penitus roboris vel momenti eſſe decernimus & " declaramus, obedire attendere, ſeu eas obſervare, aut vigore " earumdem ſeu aliorum quorumque mandatorum vel confeſſio- " num aut indultorum quaſcumque Dignitates etiamſi Cardinala- " tus, Patriarchatus, Archiepiſcopales, Epiſcopales fuerint, vel " beneficia, aut alia quæcumque bona ſuppoſitorum hujus Sanctæ „ Synodi & eidem adhærentium quovis modo impetrare, occu- „ pare aut detineri, etiamſi motu proprio eis conceſſa dicantur, „ vel ipſos ſic impetrantes, occupantes, vel detinentes ad poſſeſ- „ ſionem eorumdem recipere vel admittere, ſeu eos in eiſdem „ ſuſtinere quovis modo præſumant ſub pœnis Fautoriæ Sciſma- „ tis & hæreſis, nec non aliis pœnis excommunicationis, privatio- nis ab omnibus Dignitatibus.

80. Ac iterum ſeſſione 41. Hoc modo.

„ Hæc Sacro Sancta Synodus volens (ut tenetur) ſuper hoc „ ſalubriter providere, prætenſam ſcripturam, ac quidquid ex „ ea ſecutum eſt, declarat fuiſſe, ac debere ſortiri effectum, nec „ nocumentum vel damnum afferre cuiquam, vel quomobolibet at- „ tuliſſe, ipſaque quatenus proceſſerunt de facto, & quæ in poſte- „ rum ſequi poſſent, in irritum revocat, caſſat & annullat. Inhibet „ quoque, mandat atque præcipit univerſis & ſingulis Chriſti fi- „ delibus, *cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, vel conditio-* „ *nis fuerint, etiamſi Imperiali, Regali, Ducali*, Cardinalatus, Patriar- „ chali, Pontificali, ſeu alia quavis Eccleſiaſtica vel *mundana* dig- „ nitate præfulgeant, *ac Civitatibus, Vniverſitatibus, Communitatibus,* „ *Villis, Opidis, Caſtris & Collegiis quibuſcumque* ſub Fautoriæ Schiſ- „ matis & hæreſis, ac excommunicationis, *quo ad ſingulares*: inter- „ dicti vero quoad *Civitates, Vniverſitates, communitates, Villas, Oppida,*

Caſtra

„ *Caſtra & Collegia prædicta, nec non privationis omnium & ſingulorum*
„ *dignitatum*, beneficiorum, officiorum, privilegiorum & bono-
„ rum Eccleſiaſticorum *& mundanorum*, ac inhabilitationis ad ea-
„ dem, aliiſque in dicto & ceteris noſtris Decretis contentis pœ-
„ nis, quas contra facientes & rebelles ipſo facto incurrere vo-
„ lumus.

81. Non approbo illius Concilii ſchiſmatici Decreta, nec approbari poſſunt ſine aperta prævaricatione Generalium Conciliorum Florentini & Lateranenſis ſub Leone X. ſed utor argumento, quod vocant *ad hominem*. Cum enim (ut ante monui) Galliæ Scriptores diverſi habeant illud velut Sacro-Sanctum, ideo ejus textum attuli, ut vos, qui in Declarationis articulo 2. illud ſequimini, videatis an non aperta involvamini contradictione. Interim ex aliis, quæ antè in hac conſultatione citavi, colligere poteritis an Eccleſiæ authoritas non ſe extendat indirectè ad Regum & Principum temporalia, dum ſcilicet per excommunicationis ſententiam coguntur excommunicatorum ſubditi abſtinere ab eorundem ſocietate obſequio, defenſione &c.

82. Et iſtum excommunicationis effectum agnovit ipſamet Gallia, quæ tantoperè inſtitit ut excommunicaretur Henricus II. Angliæ Rex, & Galliæ hoſtis. Quid enim ſubſidii ex illa excommunicatione obtinuiſſet Gallia, niſi quod ſperaret, ſubditis à Rege ſuo Henrico deficientibus, hoſtem iſtum faciliùs è ſuis finibus exterminare.

83. Neque verò Regibus aut ſupremis Principibus moleſta eſſe debet, aut gravis iſta Eccleſiæ authoritas. Etſi enim in particulares perſonas feratur facilius excommunicatio, in Reges tamen, & ſupremos Principes, nonniſi rariſſimè & ex graviſſimis cauſis: poſtquam multæ paternæ monitiones & alia media humana nihil proficere deprehenduntur, & interim continuatur & ingraveſcit malum. Hoc docent Hiſtoriæ de Frederico primo, Frederico ſecundo, Henrico quarto, Henrico quinto Imperatoribus: item Henrico ſecundo, Angliæ Rege: de quo extant plurima inter epiſtolas Divi Thomæ Cantuarienſis: ac denique Hiſtoriæ illorum Galliæ Regum, quos conſtat fuiſſe excommunicatos.

84. Eodem ſæculo ſeu anno 1452. Nicolaus V. Carolo VII.

Galliæ Regi, non ferens ulterius eâ quæ ſine peccato ſervari non poterant, ſcripſit fuſiorem epiſtolam, quam refert d'Acherius tomo 4 pag. 373. in qua inter cætera hæc habentur.

" Adjicimus nos Chriſtianiſſimi Francorum Regni non aurum " ſitire, non divitias, ſed animarum ſalutem: & cum à nobis Ora- " tores & Legati deſtinati fuêre, non inſedit cordi noſtro ulla " rerum temporalium cupiditas, ulla ſitis habendi, quæ tempora- " lia ſunt, & tranſeuntia, nec permanent; ſed nos de æternis re- " bus, hoc eſt de animarum ſalute fuiſſe ſolicitos. Unde & im- " præſentiarum pariter obſecramus, ut non credat Serenitas tua, " nos velle aliud intendere; niſi quæ animarum ſaluti conſulant, " & ab itineribus damnationis eripiant. Nam in his excuſationis " locus non eſt propter ignorantiam. Nam in hoc præcipuè veri- " ficatur illud Apoſtolicum dictum: *Qui ignorat ignorabitur.* Itaque " rogavimus & rogamus, ut *quæ ſine læſione conſcientiæ ſervari non po-* " *terunt, dignaretur tua Serenitas è medio removere.* Nam quid prodeſt " homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detri- " mentum patiatur; aut quam dabit homo commutationem pro " anima ſua? *Vna eſt enim Eccleſia, una eſt fides ipſius, eadem debent eſſe* " *leges quibus tota, & in toto orbe gubernatur & regitur. Nec licet alicui,* " *quacunque poteſtate præfulgeat, qui vult eſſe ovis gregis Dominici, & inter* " *illas numerari, quæ Petro à Chriſto commiſſæ ſunt, cum dictum fuit illi:* " *Paſce agnos meos, ſe ab illis legibus propriâ authoritate ſubtrahere.* Nec " dubitare debet qui contrarium fecerit, *ſe illas pœnas incurrere, quæ* " *Canonum & Eccleſiaſticarum legum tranſgreſſoribus infliguntur*; & con- " trarium ſentire, idem eſſet quod dubitare de poteſtate clavium. " Nos ſi iſta taceremus, aut non noſceremus, nos Succeſſorem " Petri, cui oves Dominicæ commiſſæ ſunt, aut Celſitudinem " tuam à Dominicarum ovium numero videremur excludere, & " apud illum æternum Pontificem, qui judicaturus eſt vivos & " mortuos, cujus vicem in terris gerimus, ſilentii noſtri rationem " minimè aſſignare poſſemus.

85. Iſtam Sanctæ Sedis authoritatem paulò poſt agnovit Ludovicus XI. Galliæ Rex, qui Pio II. ſcripſit:

Beatiſſimo Patri noſtro Pio Papæ II. obedientiam filialem. Te Vicarium Dei viventis ex veneratione proſequimur, ut ſacra, præſertim in Eccleſiaſticis rebus,

Digitized by Google

rebus, tua monita velut vocem Paſtoris audire, illiſq; parere prompta mente velimus. Te Principem totius Eccleſiæ, Antiſtitem ſacrorum, Te Dominici Gregis Paſtorem profitemur, & ſcimus, Teq; jubentem ſequimur, Tibi & Beatiſſimi Petri Cathedræ conſentimus. Itaq; ſicut mandaſti, pragmaticam ſanctionem (Tuæ Sedi infenſam, utpote quæ ſchiſmatis tempore, atque per ſeditionem mota ſit) à Regno noſtro, noſtroq; Viennenſi Delphinatu, & omni ditione noſtra per præſentes pellimus, dejicimus, ſtirpituſq; abrogamus.

CONSULTATIO IX.

Expendite textum Matthæi cap. 18. & diſcutite, an non ex Iure Divino competat Eccleſiæ illa poteſtas, quam ſibi aſſeruerunt Epiſcopi Galliæ, citati in præcedenti Conſultatione.

86. CONfratres mei, ſic loquimini Articulo 1. veſtræ *Declarationis*, quaſi illa indirecta poteſtas quoad temporalia, ſeu poteſtas prohibendi ſubditis ne ſuo Principi, aut Eccleſiæ hoſti, ferant ſubſidium, communicent cum eo, obediant, fidelitatem exhibeant &c. prædictis Epiſcopis & modernis Succeſſoribus non competierit nec competat Jure Divino. Dicitis enim *non autem civilium ac temporalium à Deo traditam poteſtatem:* additis *nulli Eccleſiaſticæ poteſtati Dei ordinatione ſubjici*, ac nequidem INDIRECTE *authoritate clavium.*

87. Quid eſt ergo, quod Matthæi 18. dicitur: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus: Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo.* Ubinam hinc excipiuntur Reges aut Principes Chriſtiani; qui non minus ſunt Eccleſiæ membrum, & filii, quam pauperes & ruſtici. Et quid eſt illud, *ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, niſi hoc, *ſit tibi deinceps incommunicabilis, nullam habeas cum eo ſocietatem.* Sic explicant Sancti Patres. Euthymius *in cap.* 18. *Matthæi.* Super quo Hieronymus quoque ſcribit: " Deus poteſtatem tribuit Apoſtolis, ut ſciant, " qui à talibus condemnantur humanam ſententiam Divina ſen-" tentia roborari". Audite etiam Chryſoſtomum ad Antiochenos: " Ignoſcite mihi, nec ullus Eccleſiaſtica deſpiciat vincula.

Non

" Non enim qui ligat, eſt homo; ſed Deus, qui nobis hanc con-
" tulit poteſtatem. Nam nos ad ſolvendum dumtaxat uti poteſtate
" vellemus, quinimò nec hujus neceſſitatem vellemus habere: nul-
" lum enim volumus apud nos eſſe captivum. Si verò coacti fue-
" rimus, ignoſcite. Nec enim ſponte vel volentes; ſed plus vobis
" dolentes injicimus vincula. Si quis autem hæc contemnat;
" judicii tempus aderit, quod eum doceat. Reliquum autem nolo
dicere, ne mentem veſtram conſternem".

Idem tradit Chryſoſtomus Homil. 5. in cap. 6. Iſaiæ. *Ingreſſus eſt Ozias in Templum Domini: ingreſſus eſt & Azarias Sacerdos poſt eum. Non temerè dicebam Sacerdotem Rege majorem eſſe: neque enim ut Regem ejecturus, ſed ut profugum & ingratum famulum expulſurus cum authoritate ingreſſus eſt &c.* Alia loca Patrum dabo infra. Prius in hac conſultatione rationes intueamur.

88. Tradunt Juriſconſulti quod *conceſsâ jurîſdictione etiam cenſeantur illa conceſſa, ſine quibus ipſa juriſdictio non poteſt expediri, aut inefficax redderetur, l. 5. ff. de officio ejus, cui mandata eſt juriſdictio l. 1. ff. Si quis jus dicenti.* Cum ergo juriſdictio ſit data Eccleſiæ, de qua ſcriptum eſt, *ſi Eccleſiam non audierit* &c. ſit data *ligandi poteſtas*, ubi ad Religionis aut Fidei conſervationem, vel ad propriam delinquentis ſalutem neceſſarium eſt; cur non poterit Eccleſia (dum alia media non ſufficiunt) prohibere ſubditis, ne delinquenti ferant ſubſidium, preſtent fidelitatem, aut cum eo communicent; & eos qui contravenerint excommunicare? ſicuti enim finis poteſtatis Regiæ eſt publica tranquillitas ſubditorum, defenſio eorumdem ab hoſtibus, & eapropter uti poteſt mediis neceſſariis ad iſtum finem; cur non poſſet Eccleſia, cujus juriſdictio altioris ordinis eſt etiam uti mediis ad finem à Deo inſtitutum, & ob quem creati ſumus ſeu ad æternam ſalutem fidelium, neceſſariis.

89. Itaque etſi Eccleſiæ poteſtas non verſetur directè & primariò circa temporalia; tamen, quia verſatur circa finem, ad cujus obtentionem neceſſaria eſt poteſtas ſaltem indirecta, & maximè illa (quam hactenus expreſſi) circa temporalia; cur negabitur Eccleſiæ? cujus authoritas eſt longè eminentior tam ex parte commiſſionis, quam ex parte finis, quam ſit authoritas Principum, quæ tamen ob Reipublicæ neceſſitatem extendit ſe ad bona privatorum.

Digitized by Google

90. Præterea ipſa Principum poteſtas ſubordinata eſt fini Superiori; ut videlicet ſublatis impedimentis, quæ tranquillitati & neceſſitati publice officerent, Populus liberius vacare queat iis, quæ ad ſalutem pertinent, & ad Dei honorem; propter quem ipſa temporalia (ſicut & ipſe homo) creata ſunt. *Omnia enim propter ſe-met-ipſum fecit Dominus.* Deinde fideles omnes ſunt unum corpus, *ad Rom.* 12. *&* 1. *ad Corinth.* 12. Singuli autem ejuſdem corporis membra: ſi ergo membrum putridum totum corpus inficeret niſi abſcinderetur: ſi digitus totius brachii vitam foret abſumpturus, niſi avelleretur: cur avelli non poterit? cur conſequenter ab Eccleſia excludi Princeps, qui ſubditos perderet in damnationem æternam.

91. Hoc tamen minus habent Eccleſiæ Cenſuræ, quam habeat abſciſſio digiti facta à Chirurgo. Hic enim eum reſtituere non poteſt, & reunire corpori. At vero Eccleſiaſtica Cenſura medicinalis eſt, non ut membrum corporis adimat; ſed ut pus animam interimens educat & expellat. Nec hic multa variorum amaritudine, quæ gutturi & viſceribus moleſta ſit, opus eſt ut medelam ferat: ſed ſola voluntate ignem æternum evadendi, ac Dei Mandatis deinceps obtemperandi opus eſt, ut quod avulſum à corpore Eccleſiæ fuerat, redintegretur, reſtituatur authoritas in ſubditos, recuperetur debita ipſorum fidelitas & obedientia, niſi forte ob perſeverantem contumaciam ſit jam eò proceſſum, ut alius Princeps ſit electus, aut proximo in jure conſanguinitatis ſit adjudicata ſucceſſio; ac ipſa adjudicatio mandata executioni per factam à ſubditis receptionem alterius Principis, & præſtitum fidelitatis juramentum.

92. Quid dicam quod cuilibet animali, cuilibet corpori, aut Reipublicæ, ipſa natura conceſſit jus defendendi, ſumendi arma, etiam confœderatorum implorandi auxilium pro Religionis Chriſtianæ defenſione? quis negabit bellum iſtud eſſe juſtum, & conſequenter quæ in tali bello hoſtibus Eccleſiæ erepta ſunt, fieri occupantis. Hoc enim (quod & ipſe Civiles Leges teſtantur, tam ſub titulo *de acquirendo rerum Dominio*, quam ſub titulo *de captivis*) jure gentium introductum receptumque eſt. Atqui per hoc jus aliquod indirectum habet Eccleſia in bona Principum rebellium;

lium; quatenus ſi militarem manum habeat occupare illa jure belli poſſit; aut alterius qui occupet *implorare* (ut loquuntur Canones) *brachium ſæculare.* Nec ſolum Auſtraſiæ, & alii Principes, Eccleſiæ tuendæ cauſa ſuſceperunt bellum, excuſſeruntque Idololatrarum jugum; ſed etiam ipſi Galliæ Reges circa initium ſæculi ſexti quo Clodoveus I. Regum Franciæ Chriſtianus, agente Sanctiſſima illa Regina Clothilde Burgunda, & dicti Clodovei conjuge, & deinceps alii Galliæ Reges Religionis conſervandæ & augendæ intuitu bella geſſerunt.

CONSVLTATIO X.

erpendite an non ſpolietis Eccleſias jure directi dominii *in multis feudis.*

93. GEneraliter dicitis *Reges ergo & Principes &c.* Multi ſunt in Gallia, Italia, Germania, Barones, Comites, Principes, qui feuda poſſident ab Eccleſiis Electoralibus, Ducalibus, & aliis, ipſaque Sancta Sede. Et qui dictis Eccleſiis præſunt non alio titulo directi dominii jus habent in feudales dignitates, quam titulo Eccleſiæ, cui præſunt. Dicitis nihilominus generaliter *Reges ergo & Principes in temporalibus &c.*

Dogmaticæ propoſitiones (quales ſunt illæ,quæ in veſtra Declaratione continentur) ſicuti etiam illæ quæ exprimuntur in Canonibus, & Legibus, univerſalem habent ſenſum. Declaratio etiam veſtra non tantum dogmatica eſt, ſed etiam in modum legis lata eſt: dicitis enim, *quæ accepta à Patribus ad omnes Eccleſias Gallicanas atque Epiſcopos in Spiritu S. authore præſidentes mittenda decrevimus,ut idipſum dicamus omnes &c.*

94. Neque hoc tantum. Sed imploraſtis Brachium ſæculare pro obtinenda obſervatione eorum quæ decreviſtis: *ſeu ut idipſum dicant omnes Galli. Vobiſcum ſint in eodem ſenſu & in eadem ſententia.* Nec hoc tantum, ſed ut etiam illi, ad quos ſpectat docendi officium, doceant hoc ipſum; ſic enim dicitur in Edictio Regio, *Nous n'avons pas laiſſé de reçevoir avec plaiſir la Declaration que les Depu-*

 tez

tez du Clergé de France, aſſemblez par noſtre permiſſion en noſtre bonne Ville de Paris nous ont preſentée, contenant leurs ſentimens touchant la puiſſance Eccleſiaſtique; & nous avons d'autant plus volontiers écouté la ſupplication que leſdits deputez nous ont faite &c. Similiter generaliſſimè dicitis *nulli Eccleſiaſticæ poteſtati ſubſunt*: ergo nec ſubſunt illis Eccleſiaſticis poteſtatibus, quibus pro dignitate ſuſtentatione uniti ſunt Ducatus aut Principatus.

95. Nec mihi replicetis uniones illas non eſſe factas *Deo authore*; vos agere tantum de poteſtate illa, *quæ Deo authore* conceſſa eſt: contextus enim & applicatio ſententiarum Sacræ Scripturæ prout illas intelligitis, excludit uniones ejuſmodi. Dicitis enim *Regnum meum non eſt de hoc mundo, reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris*, hoc eſt *Civilia & temporalia.* Seu ad probandum quod nulla ſit Eccleſiæ poteſtas quoad iſta, ſed ſolum quoad ſpiritualia, dicitis *reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Perpendite igitur an in Codice libertatis veſtrarum Eccleſiarum non ſint etiam adſcribenda hæc Capitularia.

CAPITULARE PRIMUM.

96. *Non poſſunt Epiſcopi Galliæ ratione delicti Eccleſiaſtici vel mixti fori, infligere Laico aliquam mulctam pecuniariam etiam in pios uſus applicandam; quia Regnum ipſorum non eſt de hoc mundo.*

SECUNDUM.

Non poſſunt Epiſcopi habere Dominia, Baronatus, Comitatus, Principatus &c. ſed reddenda illa ſunt Regi, quia Regnum ipſorum non eſt de hoc mundo & reddenda ſunt Cæſari, quæ ſunt Cæſaris.

TERTIUM.

Non poſſunt Epiſcopi Galliæ judicare de cauſis Civilibus Clericorum ſibi ſubditorum etiamſi eſſent purè perſonales: quia Clericalis character

non

non mutat ſubſtantiam obligationis, & ipſorum Epiſcoporum poteſtas non extendit ſe ad civilia & temporalia, quia Regnum ipſorum non eſt de hoc mundo.

QVARTVM.

ANtea poterant Epiſcopi Galliæ, etiam ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ mandato, excommunicare Principes, niſi eſſent Rex, Regina, eorumq; filii exiſtentes in poteſtate: hodie amplius non poſſunt, quia authoritate Clavium Eccleſiæ Regum & Principum ſubditi non poſſunt eximi ab obedientia, nec ſolvi fidelitatis præſtito juramento.

QVINTVM.

NOn poſſunt Epiſcopi Galliæ excommunicare Comites, Barones, Domicellos aut alios quoſcumque, qui habent ſubditos ſibi juramento fidelitatis obſtrictos: quia excommunicatio ſolveret (quamdiu durat) fidelitatis, ſervitiorum, & obedientiæ vinculum: & eſt par ratio ſive ſit Princeps, ſive Baro, ſive Domicellus; quia Regnum illorum non eſt de hoc mundo, & omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.

SEXTVM.

POſſunt Epiſcopi Galliæ ſuper quavis actione perſonali pro re temporali, item Canonici & Sacerdotes, conveniri coram Principibus aut eorum Senatibus, quia omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſit ſubdita. Per poteſtatem autem *ſublimiorem*, intelligitis (ut ex contextu veſtræ *Declarationis* patet) *Reges & Principes temporales.*

SEPTIMVM.

ISta ſubjectio, qua Eccleſiaſtici Galliæ ſubjiciuntur temporali ſeu ſæculari Poteſtati, eſt ex Iure Divino, adeoq; indiſpenſabilis: non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Sic vos, Confratres mei, ad excluſionem authorita-

tis

Digitized by Google

tis Eccleſiaſticæ circa Givilia & Temporalia dictum Scripturæ textum inducitis.

OCTAVUM.

ET conſequenter Epiſcopi, & alii Eccleſiaſtici Galliæ, etiam ſæculari poteſtati ſubſunt in criminalibus, quia in ipſo cap. 13. ad Rom. cujus verba citatis, dum dicitis omnis anima poteſtatibus ſublimioribus &c. *Dicitur quoque*, Si malum feceris time, non enim fruſtra gladium portat.

97. Non puto, Confratres mei, Capitularia hæc ab omnibus Eccleſiaſticis Galliæ admittenda. Perpendite igitur an non conveniat vos legere Eſtium & alios S. Scripturæ interpretes, ex quibus fiat ulterior declaratio veſtræ *Declarationis*; & illis, qui ejuſmodi Capitularibus meritò contradicent, detis talem ac in Jure Divino, & Canonibus fundatam explicationem; ut Sedium Epiſcopalium ac Eccleſiarum jura maneant integra, & *quæ ſunt Dei reddantur Deo.*

CONSULTATIO XI.

An Doctrina veſtra ſit publicè tranquillitati neceſſaria nec minus Eccleſiæ quam imperio utilis?

98. CONfratres mei ſic dicitis: *Eamq; ſententiam publicè tranquilitati neceſſariam, nec minus Eccleſiæ quam imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni & Sanctorum exemplis conſonam omnino retinendam.*

99. Verbo Dei à vobis allegato non probari id, quod dicitis, puto patere ex ante dictis. Traditionem veſtræ prætenſæ Traditioni contrariam oſtendi à Sæculo IV. & deinceps ex Epiſcoporum Galliæ factis & decretis: quibus etiam Principes excommunicaverunt, & conſequenter ab obedientia ſolverunt eorum ſubditos

ditos. Sacro-ſanctum (apud vos ſeu Scriptores Gallos) Baſileenſe Concilium prætenderat judicare de Imperii feudo niſi obſtetiſſet Sigiſmundus Imperator. Et ſi petitori adjudicaſſet Ducatum, de quo erat quæſtio, ſubditos, qui alteri obedientiam & fidelitatem juraverant, abſolviſſet. Qua de re dixi aliquid ſupra. Sed ut plenius appareat de dicti Concilii intentione, ſubjungo alias dicti Imperatoris Sigiſmundi ad iſtud Concilium litteras:

100. " Reverendiſſimis, Reverendis Venerabilibus Patribus „ & Dominis Baſileenſis Synodi &c.

„ Revendi Patres, inſinuatione litteraum veſtrarum ac rela„ tione Illuſtris Friderici Ducis Saxoniæ Sacri noſtri Imperii Ar„ chimareſcalli, Lantgravii, Turingiæ, ac Marchionis Miſnenſis, „ aliorumque plurimorum fidelium noſtrorum nuper accepimus „ quod Illuſtris Ericus Dux Lauvenburgenſis, qui ſe nominat „ Saxoniæ Ducem, & ipſius Imperii Archimareſcallum, eum„ dem Fridericum coram Synodo veſtra, ſeu judicibus ab eâ de„ putatis, ſuper ducatu, officio & jure ſupra dictis trahere nitur in „ cauſam, non erubeſcens de noſtra Majeſtate publicas proponere „ quærelas, quod ſibi ſcilicet crebre poſtulanti juſtitiam in foro „ noſtro denegaverimus, ſeu miniſtrare neglexerimus. Undè „ perpendentes in primis auctoritati noſtræ derogari, pro eo „ quod cauſas ad examen noſtræ Imperialis Majeſtatis & Proce„ rum noſtrorum immediatè ſpectantes ad alienum forum produ„ cere conatur, noſtram inſuper honorificentiam detractari ex „ eo quod dicimur juſtitiæ neglectores; quorum utrique debitis „ & aptis ad hoc remediis occurrendo, nuper in Aula nôſtra Cæ„ ſarea ſuper his habita diligenti Epiſcoporum, Abbatum, Archi„ Principum, Comitum, Baronum & aliorum Procerum, & Du„ cum Sacri noſtri Palatii examinatione, tandem in ipſorum & „ omnium Oratorum Ambaſiatorum, & quorumlibet aliorum, „ qui in noſtri conſpectus conſtituti fuerunt, præſentia, palam „ ſolemniter proteſtati ſumus, quod cum Archiprincipatus, Ar„ chimareſcallatus, & jus eligendi Romanum Principem à nobis „ & Sacro Romano Imperio immediatè deſcendant, ac in feudum „ dependeant, cum etiam juxta formam juris, ac ſtylum, & ob„ ſervantiam Sacri noſtri Imperii, feudales quæſtiones coram

„ Dominis feudorum etiamſi minores Valvaſſores eſſent, ac pa-
„ ribus Curiarum, reſpectu feudi, de quo agitur, decernendæ
„ ſint: quod etiam jus in noſtra Cæſarea Majeſtate & Sacro Impe-
„ rio noſtro & paribus Curiæ noſtræ reſpectu feudi taliſmodi me-
„ rito debeat illæſum conſervari, conſequens eſſe cauſam præli-
„ batam ad forum noſtrum pertinere. Certificantes præterea om-
„ nes & ſingulos, quorum intereſſe poſſet, quod nos Præfato E-
„ rico juſtitiam nullo unquam tempore denegavimus legitime po-
„ ſtulanti, nec in futurum Deo propitio denegabimus unquam
„ ritè petenti. Quinimo quandocumque ipſe vel alius juſtitiam
„ popoſcerit, parati ſumus Pares Curiæ evocare & cauſam juxta
„ ſtylum Imperii noſtri definire. *Quare veſtras paternitates requiri-*
„ *rimus, & hortamur, ac etiam attentè rogamus, quatenus cauſam ipſam ad*
„ *forum noſtrum remittatis more ſolito & conſuetudine Imperii noſtri. Et*
„ *parium Curiæ noſtræ terminandam, ſic enim juſtitia debitum videtur re-*
quirere & officia noſtra in Sacrum Concilium merito poſtulare".

101. Ignoſcite, confratres mei, ſi forte ſcriptum hoc meum extendatur per integras epiſtolarum exhibitiones: hoc enim facio, ne quid à me ex ipſis documentis ſuppreſſum putetis. Ero ſuccinctior in opuſculo ſequenti, in quo alia, dante Deo, per rationes ex Philoſophiæ principiis acceptas deducam. Interim quia Sanctorum exempla veſtræ doctrinæ ſuffragare dicitis, gratum mihi erit unum vel alterum, aut quot quot habetis, mihi nominari. Ego ſpondeo vobis id non futurum ſine fœnore; reddam enim decuplum: ſeu ut confido, facile pro uno decem qui doctrinam veſtram improbarunt.

102. Hanc dicitis retinendam, *tamquam utilitati publicæ neceſſariam, nec minus Eccleſiæ quam Imperio utilem.* Si ita eſt, quomodo ergo Chriſtus tradidit Eccleſiæ claves, quomodo dedit poteſtatem ligandi indiſtincte quoſcumque fideles? Quomodo generaliter & ſine cujuſquam exceptione dixit, *Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*, ac ſubjunxit, *quæcumque alligaveritis &c.* An ille publicæ tranquillitatis perturbator, an Imperiorum everſor, an deſtructor Eccleſiæ, quam acquiſivit ſanguine ſuo? An gratis mortuus eſt? imo non gratis, ſed potius ad impediendam hominum

minum ſalutem, quia adversùs Eccleſiæ utilitatem daturu
data.

103. Certè Prædeceſſores veſtri non ita cenſuerun
tradita ſibi à Chriſto poteſtate utentes, Imperatores, Rege
cipes Anathematis vinculo percellendo, ſubditos eorum
obedientia & fidelitatis juramento exemerunt. Huncque
ſtatis uſum tranquillitati publicæ neceſſariam, & Eccleſiæ
perio utilem judicarunt. Etenim uti quidam non male
,, Tolerare Regem hæreticum vel infidelem conantem h
,, pertrahere ad ſuam ſectam, eſt exponere religionem evid
,, mo periculo. *Qualis enim eſt rector civitatis, tales & habitant*
,, Eccl. 10. unde eſt iſtud: *Regis ad exemplum totus componit*
,, Experientia idem docet: nam quia Rex Jeroboam Ido
,, fuit, maxima etiam Regni pars continuo idola colere
,, 3. *Reg.* 12. & poſt Chriſti adventum regnante Conſtanti
,, rebat Fides Chriſtiana: regnante Conſtantio florebat A
,, mus: regnante Juliano iterum refloruit Ethniciſmus. Et
,, glia noſtris temtoribus regnante Henrico, & poſtea Ed
,, totum penè Regnum exemplo & authoritate ſui Princip
,, de apoſtavit: regnante Maria iterum totum Regnum ad
,, ſiam rediit: regnante Eliſabetha iterum regnare cœpit
,, niſſimus, & exulare vera Religio. At non tenentur Chr
,, imo nec poſſunt Religionem exponere evidenti peric
,, eam in periculo relinquere; ſi poſſunt illud avertere: er
,, poſſunt talem Regem tolerare. Confirmatur. Nam qua
,, divinum & humanum pugnant debet ſervari divinum
,, humano. atqui Jure Divino tenentur ſervare veram Fi
,, Religionem, quæ unica eſt, non multæ; ſolo autem ju
mano hunc aut illum habere Regem.

,, Denique cur non poſſit liberari populus Fidelis à jug
,, gis infidelis? liber eſt ab obligatione manendi cum conj
,, fideli, quando ille non vult manere cum conjuge Ch
,, ſine injuria fidei, ut apertè deducit ex Paulo 1. *Corinth.*
,, nocentius 3. cap. gaudemus ꝟ de divortiis? non enim
,, eſt poteſtas conjugis in conjugem, quam Regis inſubdi
aliquanto etiam major".

104. Ipſe etiam S. Avitus Viennenſis in Gallia Epiſcopus docebit vos qualiter ad tranquillitatem Reipublicæ conducat obſervatio mandatorum Dei, illam autem tollat contumacia adverſus ea, quæ per Eccleſiam decreta ſunt. Ecce quæ in Collatione ipſius & aliorum Sanctorum Epiſcoporum coram Rege Gundebaldo Arianis favente ad annum 499. referuntur: " Poſt " ſalutationem factam, *Dominus Avitus*, cui, licet non eſſet ſenior " nec dignitate, nec ætate, tamen plurimum deferebatur, dixit " ad Regem: Si Excellentia Veſtra vellet procurare pacem Ec- " cleſiæ, parati ſumus fidem noſtram tam clarè demonſtrare eſſe " ſecundùm Evangelium & Apoſtolos, quod nulli dubium erit, " illam quam retinetis non eſſe ſecundùm Deum & Eccleſiam. " Habetis hic de veſtris, qui ſunt inſtructi in omnibus ſcientiis, " jubeatis ut nobiſcum colloquantur, & videant ſi poſſint reſpon- " dere rationibus noſtris, ut parati ſumus reſpondere rationibus " eorum. Ad quæ Rex reſpondit: Si veſtra fides eſt vera, quare " Epiſcopi veſtri non impediunt Regem Francorum, qui mihi " bellum indixit, & ſe cum inimicis meis ſociavit, ut me deſtrue- " rent: nam non eſt fides ubi eſt appetentia alieni, & ſitis ſan- " guinis populorum; oſtendat fidem per opera ſua. Tunc humi- " liter reſpondit Dominus Avitus, faciem habens Angelicam, ut " & ſermonem: Ignoramus, ô Rex, quo conſilio & qua de " cauſa Rex Francorum facit quod dicitis; ſed Scriptura nos " docet: *Quod propter derelictionem legis Dei ſæpè ſubvertuntur regna,* " *& ſuſcitantur inimici omni ex parte, illis qui ſe inimicos adverſus Deum* " *conſtituunt. Sed redite cum populo veſtro ad legem Dei, & ipſe dabit pa-* " *cem in finibus veſtris; nam ſi habetis pacem cum illo, habebitis & cum* *cæteris, & non prævalebunt inimici veſtri* ".

CON-

CONSVLTATIO XII.

Timendum vobis eſt, ne incideritis in excommunicationem, & conſequenter debetis petere abſolutionem, ut minimum eam, quam Canoniſtæ vocant ac cautelam.

105. COnfratres mei *in cap. 6. ✠ de rebus Eccleſiæ non alienandis* hæc legetis:

Si quis Presbyterorum, Diaconorum, ſeu defenſorum alienanti prædium Eccleſiæ ſubſcripſerit: quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur: niſi fortè & alienator, & qui acceperit celeri reſtitutione ſibi proſpexerint. Quod, ſi minore animæ ſuæ curâ, remedium, oblatum neglexerint, præter pœnam ſuper hoc aſcriptam: confectum exinde documentum viribus (quamvis ab initio nullas habuerit) vacuetur. Sed etiam licet quibuſcumque Eccleſiaſticis perſonis vocem contradictionis offerre, ut & cum fructibus poſſint alienata repoſcere, & Eccleſiaſtica authoritate fulciri.

106. Hic Canon Conciliaris eſt, deſumptus ſcilicet ex Conc. Romano IV. ſub Symmacho an. 502. Subſcripſiſtis Articulo 1. veſtræ *Declarationis*; quo Eccleſiæ authoritas, & diſciplinæ nervus à Præſulibus Gallicanis tanto tempóre poſſeſſus, contunditur & abjicitur. Si illi qui rerum Eccleſiæ alienationibus ſubſcribunt, (quæ tamen res fere ſolum ad alimentum temporale aliquorum miniſtrorum deſerviunt) feriuntur anathemate: quanto magis, qui Eccleſiæ claves alienant? Non congero hic plures Canones qui ſunt innumeri, poteritis, ſi lubet, plenius inſtrui, per Interpretes *ad citatum titulum.*

107. Porro non dubito vos iſtius eſſe ſententiæ: *Quod ubi ab una parte eſt peccati periculum, ab altera vero nullum, ſequi oporteat quod tutius eſt, & hoc ſignanter ubi dubium eſt, an quis inciderit in ſententiam excommunicationis cap. ad audientiam de homicidio,* ibi: *Quia vero utrum ex occaſione vulneris deceſſiſſet dubium habetur, cum in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere Presbytero memorato, ut in ſacris Ordinibus non miniſtret.* In cap. ſignificaſti 18. eod. tit. dici-

tur (*Quod ſi diſcerni non poßit ex cujus ictu percuſſus interiit, in hoc dubio tanquam homicida haberi debet Sacerdos; & ſi fortè homicida non ſit, à Sacerdotali officio abſtinere debet, cum in hoc caſu ceſſare ſit tutius, quam temere celebrare.*) In cap. petitio eod. tit. (*Si de interfectione cujuſquam in illo conflictu tua conſcientia te remordet, à miniſterio altaris abſtineas reverenter, cum ſit conſultius in hujuſmodi dubio abſtinere, quam temerè celebrare.*)

108. Stante igitur Confratres mei illo incurſæ excommunicationis periculo, (ſi non evidentiâ) propter notoriam ſubſcriptionem & conſenſum in alienationem præcipui Juris Sedium Epiſcopalium, & Cathedralium Eccleſiarum, quomodo divina officia celebrare poteritis, non obtenta prius abſolutione ſaltem ad cautelam, præſtito prius juramento ſatisfaciendi Eccleſiæ læſæ; & parendi mandatis. Hæc enim promiſſio requiritur in abſolutionibus à Cenſuris, quando non eſt previè ſatisfactum. Hoc colligere poteritis ex iis, quæ traduntur in cap. 2. & pluribus ſequentibus *de ſententia excommunicationis in 6.* quæ deſumpta ſunt ex Concilio Lugdunenſi, in quo plurimi aderant Galliarum Epiſcopi.

109. Exemplum dedit vobis S. Thomas Cantuarienſis qui (ut refertur in ejus vita cap. 21.) importunis precibus ſuperatus ſubſcripſit Regiis Angliæ reprobatis conſuetudinibus, inter quas hæc erat:

Excommunicati non debent dare vadium ad remanens, nec præſtare juramentum, ſed tantum vadium & pleſium ſtandi judicio Eccleſiæ, ut abſolvantur.

Alterum Capitulum erat: *Nullus, qui de Rege teneat in capite, vel aliquis Dominicorum Miniſtrorum ejus excommunicetur, nec terræ alicujus eorum ſub interdicto ponantur, niſi prius Rex, ſi in terra fuerit, conveniatur, vel juſtitia ejus ſi extra Regnum fuerit; ut rectum de ipſo faciat, & ita ut quod pertinet ad Curiam Regiam ibidem terminetur, & de eo quod ſpectabit ad Eccleſiaſticam Curiam, ad eandem mittatur, ut terminetur.*

Item de Jure Regaliæ ſic ſtatuebatur: *Cum vacaverit Archi-Epiſcopatus, vel Epiſcopatus, vel Abbatia, vel Prioratus de Dominio Regis; debet eſſe in manu ejus, & inde percipiet omnes reditus & exitus, ſicut Dominicos. Et cum ventum fuerit ad conſulendum Eccleſiæ, debet Dominus Rex mandare potiores perſonas Eccleſiæ &c.*

Has

Has conſuetudines Rex Angliæ ſpecioſo nomine perperam vocabat *dignitates* Coronæ, ut patet ex D. Thomæ Cantuarienſis Epiſt. 55. 56. 57. lib. 3.

110. Sed iſtis, & aliis quibuſdam, cum, ut dixi, ſubſcripſiſſet S. Thomas, paulò poſt, *pœnitentiâ ductus à ſeipſo pœnas exegit, jejunio & aſperitate veſtimentorum ſe affligens, & ſe interim ab Altaris officio ſuſpendens.* Ita refertur in ejus vita, *hoc anno Bruxellæ impreſſa, pag.* 41. ubi ſubjuntur: *Poſt paucos vero dies, eo quod ex geſtis Cauteriatam gereret conſcientiam, cum multa feſtinatione ad Romanum mittit Pontificem, utpote cujus eſt ſanare contritos corde, & alligare contritiones eorum. Igitur ſicut abſens per ſcripta poterat, vulnus detegit, medicinam quærit, toto interim tempore ſe affligens, donec reverſo Nuntio, à Summo Pontifice, qui propter ſchiſma Senone morabatur, ſuper his, quibus ſe accuſabat, per Apoſtolica ſcripta abſolutionis gratiam obtineret. A quo præter abſolutionis beneficium, multam conſolationem accepit. Qui etiam ut paſtoralem ſarcinam fortiter & alacriter ſuſtineret, & ſtrenuè ad opera paſtoralia ſe accingeret, paterno exhortabatur affectu. Unde & ipſe Apoſtolicum mandatum tamquam Hoſtiam Cœlitus ſibi miſſam, in omni jucunditate, ſicut qui & ſpiritu ferventiſſimus erat ſuſcepit.*

111. Iſta abſolutio non eſt intelligenda eo modo, quo quidam ſimiles abſolutiones datas abſentibus intellexerunt, ſeu de abſolutione ſacramentali, ſed de abſolutione ab excommunicatione, & reſervatione caſus; ut ſcilicet à Confeſſario ordinario vel delegato ſequi poſſit abſolutio in foro interiori. Patet hoc ex ipſa Epiſtola Alex. III. ad S. Thomam, quæ extat in jam citato libro: *Si aliquid te recolis commiſiſſe, de quo propria te debeat conſcientia remordere, quidquid ſit, Sacerdoti, qui diſcretus & providus habeatur, tibi conſulimus per pœnitentiam confiteri. Quod facto & miſericors Dominus, qui multò amplius ad cor reſpicit, quam ad actus, tibi conſuetâ pietatis ſuæ miſeratione dimittet. Et nos de Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus meritis confidentes, te ab eo, quod eſt commiſſum abſolvimus, & idipſum fraternitati tuæ auctoritate Apoſtolicâ relaxamus, conſulentes utique ac mandantes, ut poſtea à Miſſarum celebrationibus propter hoc non debeatis abſtinere. Datum Senonis, kalendis Aprilis.*

112. Confratres mei, controverſiæ, quæ tunc agebantur in Anglia mihi non videntur multum aſſimiles à pluribus earum,

quas tractaſtis. Videte ergo, an non ſit etiam in vobis pœnitentiæ materia, & ratio Regem Chriſtianiſſimum informandi etiam in materia Regaliæ. Non dubito quin vos audiet. Hoc fecerunt Prædeceſſores Galliæ Reges, quorum exempla aliquot refert d'Acherius. Ego brevitatis cauſa unum tantum adſcribam, *ex tomo ejus octavo pag.* 203.

" Philippus Secundus &c. Noverint univerſi præſentes pari-" ter & futuri, quoniam legitimorum hominum teſtimonio Lug-" dunenſis Eccleſiæ jus eſſe didicimus, ut quotiens Eduenſis Se-" des vacaverit, totiens Lugdunenſis Archi-Epiſcopus, & Rega-" lia noſtra Eduenſia, & alia quæ ad Epiſcopatum Eduenſem per-" tinent in manu ſua habeat: & verſa vice quotiens Lugdunen-" ſem Sedem vacare contigerit, totiens Epiſcopus Eduenſis in " manu ſua habeat & cuſtodiat univerſa ad Archi-Epiſcopatum " Lugdunenſem pertinentia. Quocirca quoniam jura harum Ec-" cleſiarum volumus & debemus immutilata conſervare, decrevi-" mus ac præcipimus quatenus utraque Eccleſia jus ſuum integrè " habeat ſicut prædictum eſt, & ſicut ex legitimorum hominum " teſtimonio didicimus; *Ita videlicet quod Eccleſiarum non cedat ad " præjudicium id, quod Regalia Epiſcopatus Eduenſis ignorantiâ occupavi-" mus poſt deceſſum Stephani Eduenſis Epiſcopi. Unde fideli noſtro Iohanni " tunc Archi-Epiſcopo Lugdunenſi Regalia ipſa reſtituimus, & per ipſum " Succeſſoribus ſuis, ipſo Epiſcopatu vacante, in perpetuum habere ceſſimus.*

" Quod ut perpetuum robur obtineat, præſentem paginam Si-" gilli noſtri authoritate, & Regii nominis charactere inferius " annotato præcepimus confirmari. Actum Pariſiis anno ab In-" carnatione Domini milleſimo centeſimo octuageſimo nono, " Regni noſtri anno decimo adſtantibus in Palatio noſtro, quorum nomina ſuppoſita ſunt & ſigna". &c.

113. Idem ſentire debetis de Rege Chriſtianiſſimo, quod expertus ſum, etiam in materia Regaliæ, in Rege meo Catholico. Cum enim antequam Cameracenſis Eccleſiæ poſſeſſionem adipiſceretur Illuſtriſſimus Dominus Jonnart, de Regalia eſſet quæſtio, ſeu fructibus pendente vacatione Sedis; conſultus ego reſpondi, fructus certorum bonorum bonorum, quæ Eccleſia Camera-

raceu-

Digitized by Google

racenſis tenet in Hannonia ſpeciali jure *feudi* ſpectare ad Regem: ſed jus illud minimé extendere ſe ad alia bona, quæ à Principibus ſimpliciter erant ceſſa ſine ſpeciali retentione *directi dominii*, & obligatione *relevii:* niſi de contraria conſuetudine longiſſimi temporis conſtaret. Non egrè tulit Regius Miniſter, neque etiam Illuſtriſſimus tunc in Belgio Internuntius; & ferè ſecundùm reſponſionem iſtam facta fuit ſuper fructibus compoſitio.

CONSULTATIO XIII.

Inquirere vos oportet, an prima pars Proemii Declarationis veſtræ non feriat vos ipſos.

114. Confratres mei ſic incipit Proemium: *Eccleſia Gallicana Decreta & libertates à Majoribus noſtris tanto ſtudio propugnatas, earumque fundamenta Sacris Canonibus & Patrum Traditione nixa, multi diruere moliuntur; nec deſunt qui earum obtentu Primatum B. Petri ejuſque Succeſſorum Romanorum Pontificum à Chriſto inſtitutum, iiſque debitam ab omnibus Chriſtianis obedientiam, Sediſq; Apoſtolicæ in qua fides prædicatur, & unitas ſervatur Eccleſiæ, reverendam omnibus gentibus, Majeſtatem imminuere non vereantur.*

Confratres mei oſtendi quomodo Eccleſiæ Gallicanæ libertates, ab eo tempore quo Galliæ Principes Fidem Catholicam ſuſceperunt, propugnaverint Majores veſtri. Ipſam quoque traditionem oſtendi à tempore S. Ambroſii per ſequentia deinceps ſæcula. An illas non diruitis, aut diruere moliti eſtis per conſilia & Subſcriptiones veſtras, vos ipſi videte, & tradita à Majoribus conciliate cum Articulo I. veſtræ *Declarationis.*

Petri ac Succeſſorum ejus Pontificum Romanorum Primatum à Chriſto inſtitutum & reverendam omnibus gentibus Majeſtatem an magnopere non imminuant tres ſequentes Articuli veſtræ *Declarationis*, expendere poteritis ex iis, quæ deinceps ſum dicturus.

Non tantum malum ſed etiam mali periculum à Chriſtiano homine cavendum, quia ſcriptum eſt. *qui amat periculum peribit in eo.* An non periculoſum vobis fuit judicare de jure & authoritate

Summi Vicarii Chriſti, de authoritate ejus, cujus agnoſcitis *Majeſtatem omnibus gentibus reverendam*; cui *ab omnibus Chriſtianis debitam* fatemini *obedientiam*. Et tamen judicaſtis inaudita S. Sede.

115. Quid eſt Eccleſia Gallicana reſpectu orbis Chriſtiani, niſi Civitas reſpectu Regni? Ferretne Rex Chriſtianiſſimus quod Civitas aliqua Regni ſui de ipſius jure, & authoritate definitivam ſententiam ferret ipſo inaudito; eamque ab omnibus civibus teneri, obſervari, publicari, publicationem ſingulis annis ab aliquibus fieri mandaret? an non meritò judicaret Rex committi hic leſæ Majeſtatis crimen, & quidem tale, quod ad primum genus reducatur? quomodo ergo ſimilis criminis non eſtis veriti periculum?

116. Quid Galliæ Majores veſtri Epiſcopi, Doctores & Scriptores de illa Majeſtate Sedis Apoſtolicæ cenſuerint ab initio Eccleſiæ ad hoc uſque ſæculum, oſtendi in *Diſquiſitione Theologica p.* 51. *uſque ad* 72. oſtendam nunc quid ſenſerint aliæ orbis partes, & quomodo totam doctrinam veſtram damnaverint. An fallar ego, poteritis per Replicam, quam audio parari, oſtendere. Exigo tamen ut illa fiat debitè, ad ſingula ordine ſuo reſpondendo, ut Lector videat facilius, & abſque confuſione, utriuſque partis fundamenta & ſolutiones conferat. Eo enim fine ordinem veſtræ Declarationis in *diſquiſitione* ſum ſecutus, uti etiam cæpi in his Conſultationibus facere & faciam deinceps. Si verò aliquos articulos aut objectiones reliqueritis intactas aut inſolutas ſequar illud quod obſervatur, etiam in Galliæ veſtris tribunalibus; ſeu id, ad quod reſponſum non erit, acceptabo pro confeſſo.

117. Hoc jure fieri docuerunt me etiam S. Patres. Inter quos Hieronymus *ad Ioannem Ieroſolymitanum* ſcribit: *Qui arguitur in pluribus, & in dilutione criminum aliqua prætermittit, quidquid tacuerit confitetur..... Elige è duobus quod vis, optio tibi dabitur? aut reſpondiſti, aut non; ſi reſpondiſti, cur plurima de his, quæ tibi objecta ſunt reliquiſti? ſi non reſpondiſti; ubi eſt illa Apologia tua, in qua gloriaris apud ſimplices & quaſi ignorantibus cauſam huc illucq; diſſeminas? Quæſtionum capita* 80. *& amplius tibi objecta ſunt; tantum novemdecim tangis, & præteris, in cæteris grande ſilentium eſt. Si abſolutiſſimè reſpondiſſes, hærerem tamen in uno crimine, & quod tacueras hoc tenerem: nunc vero quaſi auribus lupum* appre-

Digitized by Google

apprehenderis, nec tenere potes, nec audes dimittere. Ipſa quoque quaſi negligens atque ſecurus, quaſiq; aliud agens in quibus aut nulla aut parva ſit quæſtio, prætervolas atque perſtringis, & ita opertus ac tectus incedis, ut plus confiteraris tacendo, quam renuas diſputando. Quis non protinus tibi poteſt dicere; ſi lumen quod in te eſt tenebræ ſunt; ipſæ tenebræ quantæ erunt? de quibus viſus es aliquid dicere culpa non carent & fraudulenter ac lubrice coarguuntur. Quid faciemus de reliquis in quibus illudere non poteras audientes, maluiſti omnino reticere, quàm apertè quod tectum fuerat, confiteri.

CONSVLTATIO XIV.

Expendite de authoritate Sanctæ Sedis *traditionem*, *ab initio Eccleſiæ Chriſti uſque ad veſtra tempora.*

118. SCitis traditionem cognoſci ex continuata Sanctorum Patrum & Scriptorum Eccleſiaſticorum ſententia & conſenſu. Non ignoratis illam Auguſtini Sententiam qua *de rebus ad Religionem pertinentibus* dicit: *cujus principium vel origo non invenitur, ab Apoſtolis traditum creditur.* Scitis denique Apoſtolos à Chriſto accepiſſe ea quæ tradiderunt. Succeſſionem ergo rerum videamus. Petrus primum Apoſtolorum & Eccleſiæ, Concilium indixit, Sacram Scripturam interpretatus eſt, ejus ſenſum explicuit, quid agendum eſſet decrevit, de ſenſu per Spiritum Sanctum intento judicavit. Sic enim legimus Act. 1. *Exurgens Petrus in medio Fratrum dixit: Viri Fratres oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Iuda. Scriptum eſt enim fiat commemoratio eorum deſerta, & non ſit qui inhabitet in eâ: Epiſcopatum ejus accipiat alter. Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati, teſtem Reſurrectionis ejus nobiſcum fieri unum ex iſtis.*

Actuum 15. Mota quæſtione gravi *de circumciſione gentilium* Paulus cum Barnaba venerunt ad Apoſtolos Hieroſolymam *conveneruntque Apoſtoli & Seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri Fratres vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus in nobis elegit* DEUS PER OS MEUM *audire Gentes Verbum*

Digitized by Google

Verbum evangelii & credere..... Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum ſuper Cervices diſcipulorum.

119. Hic iterum Petrus tamquam caput Eccleſiæ, & ad quem ſpectaret deciſio, quæſtionem terminavit. *Tacuerunt cæteri Apoſtoli*, eo excepto quod Jacobus dictum Petri adducto Scripturæ loco confirmaverit, & aliqua propoſuerit Concilio *de idolothytis, ſuffocato, ſanguine & fornicatione*, quæ à Concilio probata ſunt.

120. Idem Petrus cum quæſtio eſſet de Epiſtolis Pauli, quarum aliqua videbantur à nonnullis rejicienda, ſic iterum decrevit *Epiſt* 2. *prope finem: Chariſſimus Frater noſter Paulus ſecundùm datam ſibi Sapientiam ſcripſit vobis: ſicut & in omnibus epiſtolis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant.* Ecce iterum de authoritate & ſenſu Sacrarum Scripturarum judicat, ſicut Actuum cap. I.

121. Cum Evangelium ſuum conſcripſiſſet Marcus, authoritate ſua legendum Eccleſiis tradidit Petrus: ſic enim ſcribit Euſebius Cæſarienſis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lib. 2. cap. 14. *Cum Petrus Apoſtolus Divinâ Spiritus Sancti revelatione ſuggerente intelligeret Evangelium Marci editum eſſe, ferunt eum propenſo, & acri illorum hominum ſtudio magnopere fuiſſe delectatum, hancque ſcripturam* auctoritate ſua ratam feciſſe, *quæ in Eccleſiis paſſim prælegeretur.* Vixit ille ſæculo 4.

122. Sed preſtat ſequi ordinem temporum & videre quid quovis eorum majores noſtri tradiderint de Sanctæ Sedis, Chriſti Vicariorum, Petri Succeſſorum Romanorum Pontificum authoritate. In *Diſquiſitione* produxi Gallorum (ut dixi) doctrinam Declarationi veſtræ oppoſitam: accipite nunc aliorum ex variis orbis partibus.

Sæculo Chriſti 2. vixit Sanctus Polycarpus. Hic teſte Hieronymo *propter quaſdam ſuper die Paſcha quæſtiones, ſub Imperatore Antonio Pio Eccleſiam in Vrbe regente Aniceto, Romam venit.* Cur venit ex Aſia, ubi erat Epiſcopus, propter quæſtiones iſtas? niſi quia ſciebat ſimiles debere judicari à Sancta Sede. Eodem ſæculo vixit Sanctus Ireneus, & lib. 3. cap. 3. ſcripſit, *ad hanc Eccleſiam* (Romanam) *propter potentiorem principatum neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt eos qui ſunt undique fideles, in qua ſemper conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.*

Sæculo

Sæculo III. Hyppolitus in oratione de conſummatione mundi, *Princeps Petrus, fidei Petra: Beatum judicavit Chriſtus Dominus noſter. Ille Doctor Eccleſiæ, ille primus diſcipulorum, qui Regni Claves habuit, docuit me &c.*

Eodem ſæculo Tertullianus, *adverſus Hæreticos cap. 36. de præſcriptionibus:* ait, *Habes Romam, unde nobis quoque authoritas præſto eſt: Statu felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt: ubi Petrus Paſſioni Dominicæ adæquatur: ubi Paulus Ioannis exitu coronatur; ubi Apoſtolus Ioannes poſtquam in igneum oleum demerſus, nihil paſſus eſt, in Inſulam relegatur.*

Cyprianus etiam epiſt. 40. " Deus unus eſt, & Chriſtus unus, „ & una Eccleſia, & cathedra una ſuper Petrum Domini voce „ fundata". Deinde epiſtola 55. " Ad Petri Cathedram navigare „ audent, atque ad Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt, & à ſchiſmaticis & profanis litteras ferre; nec „ cogitare eos eſſe Romanos, quorum fides, Apoſtolo prædi- „ cante, laudata eſt, *ad quos perfidia non poſſet habere acceſſum*". Conferte hoc, Confratres mei, cum Articulo 2. & 4. veſtræ *Declarationis.* Addit Cyprianus.

" Neque aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſma- „ ta, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperetur, nec „ unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice „ Chriſti cogitatur".

Tranſeamus ad ſæculum IV. In hoc vixit Ambroſius, qui ſermone 47. ſcribit: " Petrus tanquam bonus paſtor tuendum gre- „ gem accepit, ut qui ſibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus „ (notate) *firmamentum:* & qui ipſe interrogationis tentatione „ nutaverat, *cæteros fidei ſtabilitate* (notate iterum) *fundaret.* De- „ nique pro ſoliditate devotionis Eccleſiarum petra dicitur, eo „ quod primus in nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tam- „ quam ſaxum *immobile totius operis Chriſtiani compagem* (attendite) „ *molemq; contineat*". Et in cap. 2. ad Galat. " Petrum Paulus „ ſolum nominat: quia primatum ipſe acceperat ad fundandam „ Eccleſiam ..... Soli Petro gratiâ primatus inter Apoſtolos eſt „ conceſſa". Idem Sanctus in aliis locis ſæpius clamat: " Fidei „ puritatem & unitatem ex Romanæ Eccleſiæ ſententiâ æſti-

,, mandam". Ecce quid ſcribit in oratione funebri de exceſſu fratris ſui: " Advocavit ad ſe Satyrus Epiſcopum, nec ullam ve-,, ram putavit, niſi veræ fidei gratiam, percontatuſque eſt ex eo ,, utrumnam cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt cum Romana Ec-,, cleſia conveniret?

123. Iterum epiſtola 78. ad Theophilum Alexandrinum: " Sanè referendum arbitramur ad reverendum fratrem noſtrum " Romanæ Sacerdotem Eccleſiæ: quoniam præſumimus ea te " judicaturum, quæ etiam illi diſplicere nequeant &c. Ut nos " quoque, cum id geſtum eſſe cognovimus, quod Eccleſia Ro-" mana haud dubiè comprobaverit, læti hujuſmodi fructum ex " animis adipiſcamur". Ac denique epiſtola 81. ad Syricium: " Recognovimus literis Sanctitatis tuæ boni paſtoris excubias, " qui fideliter commiſſam tibi januam ſerves, & pia ſolicitudine " Chriſti ovile cuſtodias, dignus quem oves Domini audiant, " & ſequantur. Et ideò quia noſti oviculas Chriſti, lupos facilè " deprehendes, & occurres quaſi providus paſtor, ne iſti morſi-" bus perfidiæ ſuæ feralique ululatu Dominicum ovile diſper-gant".

124. Athanaſius epiſt. ad Felicem II. Papam: " Quoniam " non poteſt mater obliviſci infantem ſuum; ſic & vos nolite ob-" liviſci nos vobis commiſſos: quoniam non levibus nos inimici " noſtri implicaverunt afflictionibus, & quotidie facere moliun-" tur, & apprehendere, aut ferro nos conſtringere minantur; niſi " eorum conſentiamus erroribus: *Quod nequaquam vobis inconſul-" tis, agere præſumimus, Canonibus quippe jubentibus, abſque Romano nos " de majoribus cauſis nihil debere decernere Pontifice.* Ideoque ad pro-" poſitum recurrentes, & ad bravium properantes, veſtræ Apo-" ſtolicæ Sedis imploramus auxilium.

125. Optatus Milevitanus contra Donatiſtas lib. 2. " In urbe ,, Roma Petro primò Cathedra Epiſcopalis eſt collata: in qua ,, ſedit omnium Apoſtolorum caput Petrus, unde & Cephas ap-,, pellatus eſt: *In qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, ne ,, cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent: ut jam ſchiſmaticus, & ,, peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret.* Ergo ,, Cathedra unica eſt, quæ eſt prima de dotibus.

In-

Ingredior Sæculum quintum. Ex hoc Sæculo citavi in *Diſquiſitione Theologica* pag. 59, S. Proſperum, Geretium, Verannium, Salonium & Eucherium Galliæ Epiſcopos. Citavi etiam in eodem Opuſculo aliquot Auguſtini loca. Exhibeo nunc alios. In Concilio Epheſino ſic legitur: " Nulli dubium imo ſæculis ,, omnibus notum eſt, Sanctum Beatiſſimumque Petrum Apo- ,, ſtolorum Principem, & Caput, fideique columnam, Eccleſiæ ,, Catholicæ fundamentum, à Domino Jeſu Chriſto Salvatore ,, noſtro, humanique generis Redemptore cæleſtis regni claves ,, accepiſſe, ſolvendique atque ligandi poteſtate, quam accepe- ,, rat, uſum fuiſſe, *nec non per Succeſſores ſuos huc uſque ſemper vivere.*

126. Maximus Patriarcha Conſtantinopolitanus in epiſt. ad Orientales, inſtruens qualiter quæſtionum fidei definitionem oporteat à Sancta Sede requirere, ſic ait: " Decebat tantæ dig- ,, nitatis & ſapientiæ virum non ab alio cæleſtis myſterii arcana ,, requirere, niſi ab eò potiſſimum, quem non potuit caro & ſan- ,, guis inſtruere, ſed cui Dominus ipſe ſua ſecreta dignatus eſt ,, aperire. Hunc enim ex cæteris mortalibus de toto orbe con- ,, ditor orbis elegit, cui Cathedram Magiſterii principaliter poſ- ,, ſidendam tenere *perpetuo Priuilegii jure conceſſit*, ut quiſquis di- ,, vinum aliquod aut profundum noſſe deſiderat, ad hujus præ- ,, ceptionis oraculum doctrinamque recurrat, nec illi humiliter ,, offerre quod ſolvendum eſt erubeſcat, etiamſi ipſe quod quæ- ,, ritur non ignoret.

Alter Maximus, ſeu Taurinenſis homil. 1. in Natali Petri & Pauli: " Per Chriſtum Petrus factus eſt petra, dicente Domino, ,, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* Nam ſicut in deſerto juſſu ,, Dominico ſitienti populo aqua fluxit è petra: ita univerſo ,, mundo, perfidiæ ariditate laſſato, de ore Petri fons ſalutiferæ ,, confeſſionis emerſit. Hic eſt Petrus, cui Chriſtus oviculas ſuas ,, agnoſque commendat, ut quos ille pietate miſeratione que re- ,, demerat, *hic fidei ſuæ virtute ſervaret.*

Quinimò Concilium Generale Epheſinum, cui nomine Celeſtini Pontificis præſidebat S. Cyrillus, cenſuit quæſtiones fidei, & judicia ſua, adverſus Neſtorium referenda ad Sanctam Sedem. Unde in epiſtola ad eundem Pontificem ita ſcribit: *Quia vero* *neceſ-*

Digitized by Google

neceſſitas exigebat, ut omnia, quæ in hac Sacra Synodo acciderunt, Sanctitati Tuæ declararentur, non potuimus hiſce litteris noſtris ad Sanctitatem Tuam non perſcribere, ſecundùm Servatoris noſtri voluntatem &c.

Ipſe quoque Cyrillus ad eundem Celeſtinum: " Quoniam ,, vero Deus hiſce in rebus prudentiam à nobis exigit, *Longaque* ,, *Eccleſiarum conſuetudo ſuadet, ut iſtiuſmodi Sanctitati Tuæ communica-* ,, *rentur*, non poſſum equidem id, quod apertum eſt, ad pietatem ,, tuam non perſcribere, ... quamvis hæc ita ſe habeant, non ,, prius tamen Neſtorii communionem confidenter deſerere auſi ,, fuimus, quam hæc ipſa pietati tuæ indicaremus. Digneris pro- ,, inde quid hic ſentias declarare: *Quo liquido nobis conſtet commu-* ,, *nicare nos cum Neſtorio oporteat, an vero liberè eadem denuntiare, ne-* ,, *minem cum eo communicare, qui ejuſmodi doctrinam erroneam ſovet ac* ,, *prædicat*. Porrò tuæ integritatis mens, ac ſuper hac re ſententia ,, non modo Epiſcopis Macedoniæ, ſed totius quoque Orientis ,, perſpicuè per litteras exponi debet".

Eodem modo Sanctæ Sedis judicium requiſierunt Concilium Milevitanum, Carthaginenſe, Africanum &c. Item Toletanum, in quo dicitur, *Si quis profitetur ut aliud in ſalubri Baptiſmo contra Sedem S. Petri faciat, Anathema ſit.*

S. Leo Epiſt. 89. *Hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, ut in B. Petro Apoſtolorum omnium Summo, principaliter collocaret: ut ab ipſo quaſi quodam Capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet*; UT EXORTEM SE MYSTERII DIVINI INTELLIGERET ESSE, QUI AUSUS FUISSET A PETRI SOLIDITATE RECEDERE. *Hunc enim in conſortium Individuæ Unitatis aſſumptum, id quod ipſe erat voluit nominari, dicendo:* Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; *Ut æterni ædificatio Templi mirabili munere gratiæ Dei in Petri ſoliditate conſiſteret. Hac, Eccleſiam ſua firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas poſſet appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent.*

Theodoretus ad eundem Leonem: *Ego ſuffragium Sedis Apoſtolicæ expecto, & ſupplex oro atque obſecro Sanctitatem veſtram, ut ea me, tribunal veſtrum juſtum ac rectum appellantem, defendat, ac protegat, jubeatq; ut ad vos accurram*, ET DOCTRINAM MEAM VESTIGIIS APOSTO-

LICIS

LICIS INSISTENTEM OSTENDAM..... *Veſtram ſententiam expecto: quod ſi ſententiæ eorum, qui condemnarunt, acquieſcere juſſeritis, acquieſcam, nulli deinceps futurus moleſtus. Quin potius expectabo incorruptum Dei & Salvatoris noſtri tribunal.*

Et in Epiſt. ad Renatum: *Tenet Sancta iſta* (Romana) *Sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Eccleſiarum, cum propter alia, tum quia* HÆRETICI FOETORIS EXPERS MANSIT, NEC ULLUS UNQUAM QUI CONTRARIUM SENTIRET, IN EA SEDIT: *Quin potius Apoſtolicam gratiam puram cuſtodivit. Quare quæ ab iſto veſtro tribunali proficiſcentur, qualiacumque erunt, judicii veſtri integritate confiſi, amplectemur: oramuſq; ut ex iis, quæ hactenus ſcripſimus, judicemur.*

Epiſcopi Dardaniæ idem tulerunt judicium de Sanctæ Sedis authoritate, & ſuprema de fidei quæſtionibus *irreformabiliter judicandi prærogativâ.* Sic enim ad Damaſum ſcripſerunt.

"Deſiderii & voti noſtri eſt, juſſionibus veſtris in omnibus „obedire, & quemadmodum à Patribus noſtris accepimus, Sedi „Apoſtolicæ, quæ vitæ & meritis veſtris delata eſt, intemerata „ſervare, atque Religionem Orthodoxam, cujus eſtis Prædica„tores, fideli & inculpata devotione, cuſtodire.... Si qui fortè „prava intentione (quod neque arbitramur, neque optamus) à „Sede Apoſtolica ſe crediderint ſegregandos, ab eorum nos alienos eſſe conſortio confitemur: quoniam ut dictum eſt, "*Patrum in omnibus cuſtodientes præcepta, & inviolabilis Sanctorum Canonum inſtituta ſectantes, Apoſtolicæ & ſingulari illi* Sedi veſtræ communi Fide & devotione *parere contendimus.*

Sæculi ſexti ex Gallis Scriptores citavi S. Avitum, & Epiſcopos Arauſicani Concilii eorumque ſententias, tam in præfatione ejuſdem Concilii quam in fine expreſſas. Accipite Confratres mei exteros.

Laurentius Epiſcopus Mediolanenſis & Eulalius Syracuſanus Epiſcopus in quarta Synodo Romana ſub Symmacho dixit: *Scriptura, quæ recitata eſt evidentiſſimis documentis conſtat invalida, quia nullius Præſulis Apoſtolicæ Sedis ſubſcriptione firmata docetur. Quod ſi cujuſlibet Provinciæ Sacerdotes intra terminos ſuos Concilio habito, quicquam ſine Metropolitani, ſuive Antiſtitis auctoritate tentaverint, irritum eſſe debere Patres Sancti ſanxerunt: quanto magis, quod in Apoſtolica Sede non exiſtente*

Præſule, qui prærogativa B. Petri Apoſtoli meritis per univerſum orbem primatum obtinens Sacerdotii, Statutis Synodalibus conſuevit tribuere firmitatem, *à laicis, licet conſentientibus aliquantis Epiſcopis, (qui præjudicium inferre non potuerunt,) præſumptum fuiſſe cognoſcitur, viribus carere non dubium eſt, nec poſſe inter Eccleſiaſtica ullo modo ſtatuta cenſeri ?*

127. Quotquot hujus ſæculi potui videre Scriptores, invenio omnes fuiſſe ejuſdem ſententiæ, dictamque doctrinam expreſſiſſe velut Apoſtolicam traditionem. Aliquot tantum referam. S. Fulgentius *in lib. de Incarnatione & gratia Chriſti : quod duorum magnorum Luminarium, Petri ſcilicet Pauliq; verbis, tamquam ſplendentibus radiis illuſtrata, eorumq; decorata corporibus Romana (quæ mundi cacumen eſt) tenet & docet Eccleſia, totus cum ea Chriſtianus orbis, & ad juſtitiam nihil hæſitans credit, & ad ſalutem non dubitat confiteri.*

128. Forſan dicetis iſta ſe ſic habere, ſi accedat Eccleſiæ conſenſus : ſic enim loquimini Articulo 4. veſtræ *Declarationis*. Audite ergo alia Antea in Concilio Chalcedonenſi Act. 1. ſcriptum „ eſt : Vicarius Sedis Apoſtolicæ, cum in medio una cum his Viris „ Reverendiſſimis Collegiis ſuis ſtetiſſet, dixit Beatiſſimi atque „ Apoſtolici Viri Papæ Urbis Romæ, quæ eſt Caput omnium „ Eccleſiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus eſt ejus Apoſtolatus, ut Dioſcorus Alexandrinorum Epiſcopus non ſedeat in Concilio, ſed audiendus intromittatur. Hæc nos obſervare neceſſe eſt. Si ergo præcipit veſtra „ Magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus &c. Lucentius collega ipſius dixit : judicii ſui neceſſe eſt eum dare rationem, quia cum rationem judicandi non haberet, præſumpſit, „ & Synodum auſus eſt facere, ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, „ quod nunquam licuit, nunquam factum eſt.

129. Effugium forte quæret aliquis veſtrum, quaſi Sedis Apoſtolicæ Vicarii dicendi modum exceſſerint : quibus tamen Synodus non contradixit. Audite ergo quid dixerit Joannes Patriarcha Conſtantinopolitanus *in epiſtola ad Hormiſdam Pontificem : Prima ſalus eſt rectæ fidei regulam cuſtodire, & à Patrum traditione nullatenus dedeviare : quia non poteſt Domini noſtri prætermitti ſententia, dicentis:* Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. *Hæc quæ dicta ſunt rerum probantur effectibus : quia in Sede Apoſtolica inviolabilis ſemper Catholica cuſtoditur Religio.*

130. Et

Digitized by Google

130. Et ad Pontificem Archimandritæ Syriæ: *Sanctiſſimo & Beatiſſimo orbis terræ Patriarchæ Hormiſdæ, continenti Sedem Principis Apoſtolorum Petri &c. Deprecamur ergo Beatiſſime, ſupplicantes & rogantes, ut exurgatis cum fervore & zelo, & condoleatis juſtè pro corpore laniato: nam caput eſtis omnium: vindicetis fidem contemptam, Canones conculcatos, Patres blaſphematos, & talem Synodum anathemate impetitam. Vobis à Deo data eſt poteſtas & auctoritas ligare & ſolvere.*

Ecce etiam quod ſcripſit Ennodius in lib. de Synodis ſub Symmacho: *Sanctorum voce patet dignitatem Sedis Apoſtolicæ factam toto orbe venerabilem, dum illi quicquid fidelium eſt ubique ſubmittitur, dum totius corporis caput eſſe deſignatur, de qua mihi videtur dictum per Prophetam:* Si hæc humiliatur, ad cujus confugietis auxilium ubi relinquetis gloriam veſtram?

131. Et Poſſeſſor Epiſcopus ad Hormiſdam: *Decet & expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de ſanitate membrorum. Quis enim majorem circa ſubjectos ſolicitudinem gerit,* aut à quo magis eſt nutantis Fidei *ſtabilitas expetenda*; quam ab ejus Sedis Præſide; *cujus primus à Chriſto Rector audivit:* tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

132. Item Eulalius Carthaginenſis ad Bonifacium ſecundum: *In Sede Apoſtolica extra maculam ſemper eſt Catholica ſervata Religio: de qua ſpe & fide minimè ſeparari cupientes, &* Patrum ſequentes conſtituta, *anathematizamus omnes, qui contra S. Romanam & Apoſtolicam Eccleſiam ſuperbiendo ſuas erigunt cervices: ſequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem, & prædicantes ejus omnia conſtituta, & per omnia ſpero, ut in una communione vobiſcum, quâ Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe merear, in qua eſt integra & vera Chriſtianæ Religionis &* perfecta ſoliditas.

133. Denique, ut alios hujus ſæculi Scriptores prætermittam, audite Joannem Ravennatenſem Epiſcopum *ad Gregorium Magnum* ſcribentem: *Recolo me in ſinu & gremio Sacro-ſanctæ Eccleſiæ veſtræ Romanæ enutritum, & Deo auxiliante provectum. Et quibus auſibus ego Sanctiſſimæ illi Sedi; quæ univerſali* Eccleſiæ Jura ſua tranſmittit, *præſumpſerim obviare, propter cujus conſervandam auctoritatem, ſicut Deo manifeſtum eſt, multorum contra me graviter excitavi invidiam?*

Septimi ſæculi ex Gallis Scriptoribus, citavi in Diſquiſitione ſequentes Julianum Pomerium, & illud quod paulò antè decre-

L 2 vetant

Digitized by Google

verant Epiſcopi Concilii Turonenſis II. addo igitur exteros. Sophronius Hieroſolymitanus *in Opere de laboribus S. Petri & Pauli* ait: *Petri mundi procuratio committitur, & traduntur cæleſtium theſaurorum claves: ſuper cœtum Apoſtolorum conſtitutus eſt.*

134. Agatho: *Hanc doctrinam B. Petrus tradidit: quia ejus vera confeſſio à Patre de cælis eſt revelata, pro qua à Domino omnium Beatus pronuntiatus eſt Petrus: Qui & ſpirituales oves Eccleſiæ ab ipſo Redemptore omnium terna commendatione paſcendas ſuſcepit: cujus adnitente Præſidio hæc Apoſtolica ejus Eccleſia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt: cujus authoritatem, utpote Apoſtolorum Principis, ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia ſecuta eſt.*

135. Eodem ſæculo Anaſtaſius Diſcipulus S. Maxini, *apud Gennadium Scholarium de Primatu Papæ*, ait: *Cum fides concordiſſimè ab omnibus exagitaretur, niſi ſpeciali gratia opem tulerit, qui ſemper ſuccurrit, ſemine Religionis apud veterem Romam nobis relicto, ad confirmandam promiſſionem mentiri neſciam, quæ facta eſt principi Apoſtolorum.*

Et Sophronius Hieroſolymitanus *Epiſtola ad Stephanum Epiſcopum*: "De finibus terræ uſque ad terminos ejus ambula, donec ,, ad Apoſtolicam Sedem ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta conſiſtunt, pervenias".

136. Item Stephanus *in libello ad Martinum Papam:* "Annuntia- ,, mus hæc omnia omnium præpoſitæ Sedi: dico autem ſummæ ,, veſtræ & principali, ad medicinale conſultum emerſi vulneris: ,, quippe quoniam hoc poteſtativè olim, & ab antiquitus facere ,, per Apoſtolicam ſive Canonicam conſuevit auctoritatem dum ,, aperta lucubratione non ſolum Claves Regni Cælorum ſunt ei ,, creditæ, atque ipſe non tantummodò ad aperiendam eas fidelibus ,, quidem dignè, minimè autem Evangelio gratiæ credentibus ju- ,, ſtè claudere magnus ſecundum veritatem, & Principes Apo- ,, ſtolorum meruit Petrus: Sed etiam *& paſcere primus juſſus oves* ,, *totius Catholicæ Eccleſiæ*, cum Dominus dicit: *Petre amas me? Paſce* ,, *oves meas.* Et iterum ipſe præcipue ac ſpecialiter firmam præ om- ,, nibus habens in Dominum Deum noſtrum Fidem, convertere ,, aliquando, *& confirmare exagitatos conſortes ſuos & Spirituales meruit* ,, *Fratres*, utpote diſpenſative ſuper omnes ab ipſo, qui propter ,, nos Incarnatus eſt Deus, poteſtatem accipiens, & Sacerdota- ,, lem auctoritatem.

Digitized by Google

137. Sergius Cyprius ad Theodorum Papam : *Firmamentum à Deo fixum, firmum, & immobile, atque tituli formam lucidiſſimam Fidei veſtram Apoſtolicam Sedem conſtituit, ô ſacer vertex, Chriſtus Deus noſter. Tu es enim, ſicut Divinum veraciter pronuntiat verbum, Petrus & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ confirmatæ ſunt : tibi & Claves Regni Cœlorum commiſit, atque ligare & ſolvere poteſtativè quæ in terra, & quæ in cœlis ſunt, promulgavit : tu prophanarum hæreſium depoſitor exiſtis, ut Princeps & Doctor orthodoxæ & immaculatæ fidei. Igitur non deſpicias Patrum tuorum Pater Fidem æſtuantem, ab aliquibus Hæreticis ventis violentatam, nec non periclitantem : reſolve nebulam incipientium lumine tuæ Sapientiæ Divinæ, ô Sanctiſſime.*

138. Columbus & cæteri Primates & Epiſcopi Provinciarum Africæ, Numidiæ, Byzaceni & Mauritaniæ *in epiſtola quæ extat in Lateranenſi Concilio conſultatione ſecunda ad Theodorum Papam*, aiunt : " Magnum & indeficientem, omnibus Chriſtianis fluenta redun-„dantem, apud Apoſtolicam Sedem conſiſtere fontem, nullus „ambigere poſſit, de quo rivuli prodeunt affluenter univerſum „largiſſimè irrigantes orbem Chriſtianorum ; cui etiam in ho-„norem Beatiſſimi Petri, Patrum decreta peculiarem omnem „decrevêre reverentiam in requirendis Dei rebus, quæ omninò „& ſolicitè debent, maximè verò juſtèque ab ipſo Præſulum „examinari vertice Apoſtolico, cujus vetuſta ſolicitudo eſt, tam „mala damnare, quam probare laudanda. Antiquis enim regulis „ſancitum eſt, ut quicquid quamvis in remotis, vel in longinquo „poſitis ageretur Provinciis, non prius tractandum vel accipien-„dum ſit, niſi ad notitiam Almæ Sedis veſtræ fuiſſet deductum, „ut hujus authoritate, juxta quæ fuiſſet pronuntiatio, firmare-„tur, indeque ſumerent cæteræ Eccleſiæ (velut de natali ſuo „fonte) prædicationis exordium, & per diverſas totius mundi „regiones puritatis incorruptæ maneant fidei Sacramenta ſa-lutis".

139. Sæculi octavi Gallos citavi in *Diſquiſitione* pag. 61. nempe S. Bonifacium Archiepiſcopum Moguntinum, Alcuinum Magiſtrum Caroli Magni, ipſumınet Carolum Magnum, Epiſcopos Concilii Triburienſis. His addo Damaſcenum *hiſtoriæ Barlaam cap. 11. Princeps diſcipulorum Petrus, fidei petra, ſalutiferæ paſſionis tem-*

pore, certo quodam conſilio, aliquantiſper à Deo deſertus eò peccati prolapſus eſt, ut Dominum abjuraret, non tamen ſalutis ſpem abjecit: ſed acerbiſſimas ex oppreſſo pectore lacrymas profundit, Principem locum rurſus tenuit: quemadmodum totius orbis Magiſter inſtitutus fuerat, ita etiam pœnitentiæ exemplar effectus.

140. Beda *hom. in die Apoſtolorum Petri & Pauli:* " Ideo Beatus ,, Petrus, qui Chriſtum vera fide confeſſus, verè eſt amore ſecu- ,, tus, ſpecialiter claves regni Cælorum & Principatum judicariæ ,, poteſtatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, ,, quia quicunque ab unitate fidei vel ſocietatis illius quolibet ,, modo ſemetipſos ſegregant, tales nec vinculis peccatorum ab- ,, ſolvi, nec januam poſſint regni cæleſtis ingredi".

Concilium Nicænum II. Act. 6. *Execrabilis eſt, & profana, & adulterina* (ſeptima Synodus Conſtantinopolitana.) *Non enim habuit cooperarium, ut hæc quæ nunc celebratur, Romanum Pontificem: neque illius Sacerdotes, neque per Vicarios, neque per Provinciales literas, quemadmodum fieri in Synodis debet.*

141. Pro ſæculo nono in dicta *Diſquiſitione* pag. 62. 63. 64. citavi ſententias ſequentium Gallorum, Jonæ Aurelianenſis Epiſcopi, Rabani Mauri, Landrini Turonenſis, Adventii Metenſis Epiſcopi. Accipite alios. Ignatius Conſtantinopolitanus *epiſtola ad Adrianum II.* ait: *Omnium Magiſter dicit Petro magno & ſummo Apoſtolorum:* Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: *Tales beatas voces non ſecundùm quandam utique ſortem Apoſtolorum Principi Petro ſolum circumſcripſit, & definivit, ſed ad Succeſſores quoque derivari voluit.*

142. Leo IV. *Petrus cum intelligeret principatum eum magnum eſſe, & magnis indigentem viribus videretq́; Ioannem ſequentem, illum dico, quem Ieſus vehementer amabat:* Hic, *inquit*, quid? *Quod perinde erat, quaſi diceret: Mené præfici vis caput diſcipulis? Hunc vero a te dilectum, qui voluit ſedere ad dexteram, hunc, inquam, quid facere jubes? Ne igitur occaſionem erroris aliqui conciperent, quod omnibus diſcipulis communiter dixiſſet:* Quæcunque ſolveritis in terra, &c. *Reſpondit Dominus, quaſi increpans Petrum:* Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me ſequere, *id eſt, ſequere me hoc baculo paſtorali: & ſicut ego, cum eram vobiſcum, ſervabam vos, ut Pater, & Caput, ac Magiſter, vigi-*

Digitized by Google

vigilans pro vobis: ſic tu eſto meo loco, & ſequere me principatu ac poteſtate tua, Fratres tuos confirmans. *Te enim volo eſſe meo loco. Vnde manet in hodiernum uſque diem Petrus ſequens Chriſtum in Succeſſore ſuo.*

143. Similiter Walafridus Strabo de rebus Eccleſiaſticis, „cap.22. "Et Romani quidem uſum obſervationum à Beato Pe- „tro Apoſtolorum Principe accipientes, ſuis quique temporibus, „quæ congrua judicata ſunt, addiderunt. Quorum morem ideò, „in Sacris rebus tam multæ Gentes imitantur, quia & in tanti „Magiſterii ex apice Apoſtolico primordiis clarent, *& nulla per* „*Orbem Eccleſia æque ac Romana ab omni face hæreſium cunctis retro tem-* „*poribus pura permanſit.*

Theodorus Sudites Epiſtola ad Paſchalem Papam: "Audi A- „poſtolicum caput, Paſtor ovium Chriſti à Deo electe, Clavi- „ger Regni Cælorum, Petra Fidei, ſuper quam ædificata eſt „Eccleſia Catholica huc ades, ab occidente exurge, & ne repel- „las in finem. Tibi namque dixit Chriſtus Deus noſter: tu ali- „quando converſus confirma Fratres tuos.

Idem ad Michaëlem Imperatorem: "Cum nos in unum con- „veniſſemus venerabilis Imperii veſtri juſſu minimi Epiſcopi & „Præpoſiti,...... Nos diluimus omnes dubitationes veſtras: ſi „vero aliquid dubitare vel non credere videtur veſtra Divina „magnificentia, ejus rei explicatio à Pontifice piè eſt poſtulan- „da: magna & à Deo firmata manus veſtra, ut publicæ cupida „utilitatis; jubeantur veſtri Româ capere declarationem, ut à „principio à Patribus noſtris eſt traditum.

"Ea, ô Chriſti imitator Imperator, inter omnes Eccleſias Dei „ſummum & ſupremum obtinet locum: cujus Petrus tenuit „primam ſedem: ad quem dicit Dominus: *Tu es Petrus & ſuper* „*hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt* „*adverſus eam.*

144. Denique, ut alios plurimos hujus ſæculi omittam, Ignatius Conſtantinopolitanus ad Nicolaum Papam ſcripſit: *Ipſe Princeps Summus, & fortiſſimus ſermo, & ordinator, & curator, & ſolus ex toto Magiſter Deus omnium produxit: videlicet tuam fraternam Sanctitatem, & paternam almitatem. propter quæ dixit Petro Magno & Summo Apoſtolorum:* Tu es Petrus & ſuper hanc petram &c. *Tales enim Beatas voces cum* *ſecun-*

Digitized by Google

ſecundùm ipſum efficiendi erant Summi Paſtores, & Diviniſſimi Sacriq; Pontifices ſenioris Romæ tranſmiſit. Et ideò ab olim & à priſco tempore in exortis hæreſibus & prævaricationibus eradicatores & interemptores malorum zizaniorum, *& tabefactorum, & penitus inſatiabiliter ægrotantium membrorum, multi multoties facti ſunt eorum, qui Sanctitatem, & Summam Paternitatem tuam illic præceſſerunt, Succeſſores videlicet Principis Apoſtolorum, & illius zelum in fide, quæ ſecundùm Chriſtum eſt, imitantes & nunc noſtris temporibus beatitudo tua dignè tractavit datam ſibi à Chriſto poteſtatem.*

145. Quod attinet ad ſæculum decimum citavi in Diſquiſitione pag. 65. Epiſcopos, qui interfuerunt Conciliis Triburienſi, Cabilonenſi, Rhemenſi. Ex plurimis aliis hujus ſæculi Scriptoribus addo aliquos. Theophylactus *in cap. 21. Ioannis,* ait: *Totius orbis ovium præfecturam Petro committit non autem alii, ſed huic tradit, primum quidem, quia omnes præcellebat, & totius cœtus os erat, &c.*

Et Author *Altercationis Eccleſiæ & Synagogæ: Romanæ Sedis nunquam intermorituram eſſe fidem Chriſtus pronuntiaſſe videtur, quando concreditis atque collatis Petro cæleſtis regni Clavibus, id eſt, totius Eccleſiæ ſupremà poteſtate commiſſa.* Ego, *inquit*, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. *Et alibi:* Tu es Petrus &c. *Petrum quippe Romanæ Eccleſiæ Præſulem fore ibique martyrio conſummandum prævidit. Cujus fidem non defecturam promittit. Quid quæſo nobis inſinuaſſe cenſendus eſt, quam quod ea potiſſimum Eccleſia, cujus Petrus velut è vicino (cum eſſet alias omnium poſt Chriſtum Eccleſiarum Caput, & ſummus Antiſtes) Præſul erat futurus, in unius ac veræ fidei confeſſione perpeti conſenſu ſemper eſſet permanſura.*

146. Metaphraſtes *in vita Stephani Iunioris: Quoniam pacto, qui ſancta proſcripſiſtis, ſanctum Concilium coëgiſtis? O ſingularem abſurditatem. Iam qui Oecumenicum Concilium iſtud vocari queat, quod nec Romanus Antiſtes (citra cujus authoritatem nullo modo fieri poteſt, ut res Eccleſiaſtica ad normam dirigantur) gratum habuit.*

147. Regino *in Chronico de anno Chriſti* 865. *Stultitiæ quodam elogio notandi ſunt, qui illam Petri Sedem aliquo pravo dogmate fallere poſſe arbitrati ſunt, quæ nec fefellit, nec ab aliqua hæreſi falli unquam potuit.*

Item *de Anno* 866. "Arſenius Epiſcopus Apocriſarius, & Conſiliarius

Digitized by Google

" ſiliarius Nicolai Papæ, vice ipſius directus eſt in Franciam, " quo perveniens tanta Auctoritate & poteſtate uſus eſt, ac ſi " idem ſummus Præſul adveniſſet. Convocato denique Epiſco- " porum conventu, Lotharium Regem alloquitur; ut unum è " duobus eligat, aut propriæ reconcilietur uxori, abdicato Wal- " dradæ pellicis conſortio, aut protinus anathematis gladio ferire- " tur ipſe, omneſque ei in hoc ſcelere favorem præſtantes. Hac " neceſſitate compulſus, vel conſtrictus, vellet, nollet, Thitber- " gam Reginam in matrimonium recepit.

Tranſeo ad ſæculum undecimum. Citavi Galliæ Prælatos quinquaginta qui interfuerunt Concilio Rhemenſi, & Sanctum Ivonem. Addo Oecumenium *in cap. 1. ad Galatas* ſcribentem: *Redii Hieroſolymam, ut Petrum viderem.* "Conſidera animi modeſtiam. " Poſt tot tantaque certamina abiit ut videret Petrum tanquam " majorem. ut autem etiam maneret, cauſa honoris, quem Pe- tro deferebat, actum eſt.

148. Item Sanctum Leonem nonum, qui ad Petrum Antiochenum ſcribit: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* "Quæ venerabilis & efficax " Oratio obtinuit, quod hactenus fides etri non defecit, nec " defectura creditur in throno illius uſque in ſæculum ſeculi, ſed " confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitatio- " nibus, ſicut uſque nunc confirmare non ceſſavit.

149. Et Gregorum VII. *epiſt.* 21. Quis ignorat vocem Domini noſtri Jeſu Chriſti dicentis in Evangelio: *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo Claves Regni Cælorum* "Nunquid hic Re- ,, ges excepti? aut non ſunt de ovibus, quas Filius Dei Petro ,, commiſit? quis rogo in hac univerſali conceſſione ligandi atque ,, ſolvendi, à poteſtate Petri ſe excluſum eſſe exiſtimet? Niſi ,, fortè infelix ille, qui Jugum Domini portare nolens, diaboli ſe ,, ſubjicit oneri, & in numero Ovium Chriſti eſſe recuſat? cui ,, tamen hoc ad miſeram libertatem minime proficit, quod pote- ,, ſtatem Petri divinitus ſibi conceſſam à ſuperba cervice excu- ,, tit. Quoniam quanto eam quiſque per elationem ferre abne- ,, gat, tanto durius ad damnationem ſuam portat. Hanc itaque

,, Divinæ Voluntatis inſtitutionem, hoc firmamentum diſpen-
,, ſationis Eccleſiæ, hoc privilegium Beato Petro Apoſtolorum
,, Principi Cæleſti decreto principaliter traditum atque firmatum
,, Sancti Patres cum magna veneratione ſuſcipientes, Sanctam
,, Romanam Eccleſiam univerſalem Matrem appellarunt.

Eodem ferè tempore Anſelmus Cantuarienſis *de Incarnatione Verbi* ſcripſit: *ad nullum alium rectiùs refertur, ſi quid contra Catholicam Fidem oritur in Eccleſia; ut ejus authoritate corrigatur: neque ulli alii tutius ſi quid contra errorem reſpondetur, oſtenditur; ut ejus prudentia corrigatur.*

150. Seculi duodecimi produci Gallos, ſeu qui docendo aut regendo Galliam illuſtrarunt, ſequentes, Hugonem Victorinum, Bernardum, Lombardum, Petrum Cluniacenſem, Arnulphum Lexovienſem. In aliis orbis partibus ſcripſerunt Potho Prumienſis, Hugo Etherianus Ottho Bambergenſis, Innocentius III. aliique. Prumienſis *de ſtatu Domus Dei*, ait: *in hàc tota domo Beatus Petrus cum ſuis Succeſſoribus plenitudinem poteſtatis accepit. Unde quicumque in partem ſollicitudinis vocati ſunt, ut ea quæ in partem regenda ſuſceperunt, provida diſpenſatione gubernent, ejus authoritate roborandi ſunt, qui in plenitudine poteſtatis toti Eccleſiæ præeſſe dignoſcitur.*

151. Etherianus *de proceſſione Spiritus S. lib. 3. Quibus ex rebus liquido claret quod Petrum ejuſq; Succeſſorem Chriſtus Principem & Caput non modo Latinorum & Græcorum Occidentis & Septemtrionis univerſi: verumetiam Armenorum, Arabum, Iudæorum, Madianitarum, & totius Orientis, & Meridiani Climatis in perpetuum conſtituit.*

152. Ottho Bambergenſis *in Epiſtola ad Paſchalem*: "Quia to-
,,tius Eccleſiæ Dignitatis & Religionis firmamentum in Chriſto
,, petra eſt, & in Petro ejus Diſcipulo, & ejus Succeſſoribus: id-
,, circo ab hac lineâ directionis & virgâ Regnorum, Pontifica-
,, tuum, & omnium poteſtatum in Eccleſia, inſanum duxi aber-
,, rare. Vobis igitur Pater Sanctiſſime & Matri meæ Romanæ
,, Eccleſiæ, collum ſubmitto, & devotæ ſublimatis auxilium, &
Conſilium de rebus meis flagito".

153. Eodem modo Rupertus Tuicienſis *De Divinis Officiis*, lib. 2. cap. 22. "Tantis hæreſibus fermentata eſt Græcia, ut mi-
,, rum videri non debeat, quod de fermento immolat. Tantæ è

contrario

„ contrario ſinceritatis ſemper fuit Romana Eccleſia, ut cui deeſt „ Scripturarum notitia vel argumentandi facultas, ſola illi de Azymo ſufficere debeat ejus authoritas".

154. Sæculo decimotertio in Gallia floruerunt Vincentius Burgundus, Albertus Magnus, D. Thomas, Guilielmus Tornacenſis, Henricus à Gandavo, Bonaventura; quorum ſententias, Confratres mei, doctrinæ veſtræ contrarias exhibui in Diſquiſitione pag. 67. & 68. audite nunc Jacobum Vitriacum *in Hiſtoria Orientali cap.* 75. "Græci in multis Sanctæ, & Summæ Romanæ „ Eccleſiæ, à qua propria authoritate receſſerunt, ipſi Schiſmatici „ contradicunt contra Dei diſpoſitionem; qui Romanam Civi„tatem, totius mundi Metropolim & Capitaneam, ſicut in tem„poralibus omnibus præerat, ita in ſpiritualibus univerſis præeſſe „ voluit.... Patet ergo cum ſuper hanc petram, pro qua Dominus „ rogavit, *ut non deficeret fides ejus*, poſt Chriſtum ædificata ſit, & „ fundata Chriſti Eccleſia, quod omnes qui ab Eccleſia Romana „ recedunt, abſque fundamento ædificant, in vanum laborantes, „ & ab eo, qui à Domino Cephas appellatus eſt, ſeparati, Acephali, & monſtroſi homines merito ſunt reputandi".

155. Alexander Aleſius *parte* 3. *quæſt.* 40. "In ordine pote„ſtatum ſæcularium nullus eſt major Rege vel Imperatore, quem„admodum in ordine poteſtatum ſpiritualium nullus eſt major „ Papa: tamen collatione facta ſpiritualis poteſtatis ad ſæcula„rem, poteſtas ſpiritualis eſt ſuper ſæcularem, ſicut ſpiritus eſt ſupra corpus". Undè Hieremiæ 1. dicitur: Ecce conſtitui te ſuper gentes & Regna.

Robertus Dominicanus *in ſua viſione*: "Ego Domine Fidem S. „ Catholicam, quam docet, credit, ac prædicat S. Mater Eccleſia „ Catholica Romana credo firmiter, confiteor ſimpliciter: pro „ qua ſuſtinenda paratus ſum ſemper cum adjutorio Dei ponere „ vitam, Anathematizans omnem hæreſim adverſùs S. Eccleſiam Romanam ſe extollentem".

156. Pro ſæculo decimoquarto citavi B. Auguſtinum Triumphum, & Petrum de Palude Gallos. Audite nunc Durandum à S. Portiano *lib.* 4. *ſentent. diſt.* 24. *quæſt.* 5. "Poteſtas, quæ tota „ data eſt uni in ſuo fonte, non eſt in aliis, niſi derivata, & limi-

„ tata pro illius voluntate: ſed poteſtas juriſdictionis, quæ eſt ad „ regendum Populum, tota in ſuo fonte data fuit Petro, & Succeſſoribus ejus, quando cura Eccleſiæ ipſi fuit commiſſa, dicente „ Domino Joannis ultimo *paſce oves meas*. Hoc enim nulli aliorum „ Apoſtolorum dictum eſt, nec tunc, nec ante, nec poſt. Ergo „ talem poteſtatem plenam & perfectam habet ſolus Petri Succeſſor, qui ob hoc Papa dicitur, quaſi Pater Patrum..... Supra „ ſimplices Sacerdotes ſunt Epiſcopi, qui habent juriſdictionem „ ordinariam ſuper totam Diœceſim: ſuper hos ſunt Archi-Epiſcopi: ſuper omnes denique Papa collocatur; penes quem reſidet plenitudo hujus poteſtatis. Et hoc rationabile eſt: quia optimum regimen unius multitudinis eſt, quando regitur per unum „ ſupremum; à quo deſcendit authoritas regendi in medios, & „ uſque ad infimos. Sed regimen S. Eccleſiæ eſt optimè à Chriſto inſtitutum: ergo in tota Eccleſia debet eſſe unus univerſalis Rector, à quo deſcendat authoritas regendi in medios uſque ad infimos: & hic eſt Papa, & propter hoc ſtat unitas Eccleſiæ, quod omnia membra ſunt ſub uno capite. Qua de cauſa „ illi, qui hanc poteſtatem negant, ſchiſmatici dicuntur, quaſi unitatis Eccleſiæ diuiſores.

157. Optimum eſſe regimen ejuſmodi, & tale fuiſſe à Chriſto pro Eccleſia ſua inſtitutum, conſtanter tradiderunt antea Sancti Patres. Juſtinus *in Oratione cohortatoria ad Gentiles*, Cyprianus *de Idolorum vanitate*, Euſebius Cæſareenſis *de demonſtratione Evangelica lib. 3. cap. 9.* Athanaſius *Oratione contra Idola*, Hieronymus *Epiſt. 4.* Chryſoſtomus *Homil. 34. in primam ad Corinth.* Theodoretus *lib. 3. de Angelis*, Leo I. *ſermone 1. in Natalem Apoſtolorum Petri & Pauli*, Eucherius Lugdunenſis *Epiſt. ad Valerianum*, D. Thomas *prima parte quæſtione 103. art. 3.* Idem cenſuerunt Gentiles Philoſophi & Politici, quorum uti & aliorum citatorum ſententias refert Cocceus *in Theſauro Catholico lib. 7. art. 2.*

158. Percurramus pauca, quæ reſtant ſæcula. Decimiquinti Gallos citavi in *Diſquiſitione* pag. 69. Scilicet Thomam Waldenſem & ipſum Regem Ludovicum XI. Hoc ſæculo ſcripſit etiam Gennadius Scholarius. *qui de primatu Papæ ſectione 2.* dixit: " Si " mundanæ poteſtates quando disjunctæ ſunt, intereunt ac dila-

„ buntur,

" buntur, quomodo debuit Chriſtus Eccleſiam ſuam mittere ſine
" capite ? Ut confuſio ſequeretur,& ex confuſione deſtrueretur :
" ſed uti ſupra omnem ordinem poſitus, uti & exiſtens is, qui
" ordinem conſtituit, voluit & ordine ſuam ſocietatem, videlicet
" Eccleſiaſticam contineri : & ut ipſe in terris erat Caput Ma-
" giſter diſcipulorum & Pater & Paſtor ; ſic cum decreviſſet ad
" paternum thronum aſcendere, Petrum præfectum ipſis conſti-
tuit &c".

159. Joannes Capiſtranus *de Papa & Conciliorum authorit.* ait :
" Non obſtat quod dicunt ſchiſmatici, quod poteſtas data fuit à
" Chriſto omnibus Apoſtolis : quia licet data fuerit omnibus po-
" teſtas clavium, tamen cum ſuo ordine, ut à Chriſto principali-
" ter in Petrum, à Petro in cæteros condeſcendat. *Sicut unguen-
" tum in capite*, ſcilicet Chriſto : *quod deſcendit in barbam Aaron*, ſci-
" licet ſummi Pontificis : *quod deſcendit in oram veſtimenti ejus* : ſci-
" licet in alios Epiſcopos, & ab Epiſcopis in alios Sacerdotes.
" Hinc etiam dixit Dominus Petro : *Confirma fratres tuos.*

160. B. Antoninus *parte 3. ſumma tit. 22. cap. 10.* " Eugenius
" quartus Concilium Baſileæ congregatum authoritate Apoſto-
" lica diſſolvebat. Illi tamen obturaverunt aures ſuas, & cœpe-
" runt Eugenium citare, ſollicitati ad hoc à Duce Mediolani,
" ægrè ejus Pontificatum ferente. Sigiſmondus vero Imperator
" & Veneti diſſuadebant eis, qui Baſileæ erant congregati ne
" pergerent. At illi depoſito Eugenio, Ducem Sabaudiæ Ame-
" dæum in idolum ſibi erigentes, Felicem V. nominarunt, cui
" tantum intra territorium ſuum fuit obeditum.

Nicolaus Cuſanus *epiſt. 2. ad Bohemos* : " Si ſcire velis an in
" Eccleſia exiſtas, hac veſtiges ratione : ſi Cathedræ Romani
" Pontificis adhæreas, quæ per continuas ſucceſſiones bonorum
" malorumque in Petrum Principem continuatur.

Hieronymus Savonarola *de veritate fidei lib. 4.* citatis illis Chriſti verbis : *Tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, ſubjungit, " Non
" autem dicendum eſt hanc dignitatem uni Petro conceſſam :
" cum Eccleſiam pari ordine uſque in finem ſæculi duraturam in-
" ſtituerit Chriſtus : ſequitur ergo, ut miniſterium hoc perpetua
" ſucceſſione uſque ad conſummationem ſæculi, tamquam ipſi

Digitized by Google

" Eccleſiæ perutile, omninoque neceſſarium, ſit confirmatum..... *Qui ergo ab unitate Romanæ Eccleſiæ in doctrina diſſentit, procul dubio per devia aberrans à Chriſto recedit.*

161. Sæculo decimo-ſexto (præter Gallos in diſquiſitione citatos videlicet Seluam *Parlamenti Pariſienſis primum Præſidem*, & Boëtium Eponem) eadem quæ ſupra ſcripſimus, docuit Franciſcus Picus Mirandula, Galatinus, Petrus Patriarcha Maronitarum, Saga Zabo Æthiops, Moſes Mardenus Antiochenus, Abdyſus Patriarcha Aſſyriorum, Gabriel Patriarcha Alexandrinus, Epiſcopi Ruſſiæ, & alii multi, quorum ſententias refert Cocceus dicto lib. 7. articulo 6. (ad quem Confratres mei, quia fortaſſe Authores ejuſmodi non eſſent ſtatim vobis reperibiles) vos remitto; ut dignemini in Replica veſtra etiam ad authoritates illas & rationes eorum reſpondere. Uti etiam ad authoritates plurimorum Sanctitate, Miraculis, Doctrina, clariſſimorum Pontificum, Conciliorum quoque generalium & aliorum extra Gallias habitorum: ac denique Principum ſæcularium, quorum ſententias refert idem Cocceus dicto lib. 7. articulo 7. & 8. ex quo etiam libro aliqua ex Superioribus delibavi. Ac proinde etiam rogo ut ad reliqua quæ habet eodem libro *articulo* 1. *&* *ſequentibus uſque ad Articulum* 16. incluſive, dignemini pariter ſatisfacere, & cum doctrina veſtra conciliare: aut certe accurate confutare ſingula, & doctrinam illis contrariam Scripturæ ac Patrum authoritatibus nec non Eccleſiæ traditione, ſolide ſtabilire.

162. Sæculi decimi-ſeptimi, ſive hujus Authores, qui plurimi ſunt, hic omitto: varios, etiam Gallos daturus in opuſculo ſequenti, in quo mihi conflictus erit cum Anonymis & Sciſmaticis, ibique eorum Sophiſmata Deo dante denudabo. Procedo nunc ad ſequentes veſtros Articulos.

CON-

CONSVLTATIO XIV.

quanta debeat eſſe apud vos authoritas Baſileenſis Conciliabuli, & data à paucis Schiſmaticis Baſileæ remanentibus illa Conſtantienſis Concilii interpretatio, quam Articulo 2. veſtræ Declarationis amplectimini.

163. IN Articulo 2. *Declarationis* veſtræ ita dicitis: *Sic autem ineſſe Apoſtolicæ Sedi, ac Petri Succeſſoribus, Chriſti Vicariis, rerum ſpiritualium plenam poteſtatem, ut ſimul valeant atque immota conſiſtant ſanctæ Oecumenicæ Synodi Conſtantienſis à Sede Apoſtolica comprobata, ipſoq; Romanorum Pontificum ac totius Eccleſiæ uſu confirmata: atque ab Eccleſia Gallicana perpetua religione cuſtodita decreta de authoritate Conciliorum Generalium, quæ ſeſſ. 4. & 5, continentur: nec probari à Gallicana Eccleſia, qui eorum decretorum, quaſi dubia ſint authoritatis ac minus approbata, robur infringant, aut ad ſolum ſchiſmatis tempus Concilii dicta detorqueant.*

164. Confratres mei in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 4. &c. 5. de qua agitis, ſic habetur: *Hæc ſancta Synodus primo declarat quod ipſa in Spiritu ſancto legitimè congregata, Concilium Generale faciens, & Eccleſiam Catholicam repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem in capite & in membris.*

Item declarat, quod quicumque cujuſcumque conditionis, ſtatus, dignitatis, etiamſi Papalis, qui mandatis, ſtatutis ſeu ordinationibus, aut præceptis hujus Synodi, & cujuſcumque alterius Concilii Generalis legitimè congregati ſuper præmiſſis, ſeu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia juris ſubſidia (ſi opus fuerit) recurrendo.

Item deffinit & ordinat dicta Sancta Synodus, quod Dominus Ioannes Papa XXIII. Romanam Curiam, & officia publica illius, vel illorum Officiarios de hac Civitate Conſtantienſi non mutet ad alium locum, ſeu transferat, ſeu perſonas dictorum Officiariorum ad ſequendum eum directè vel indirectè cogat,

cogat, ſine deliberatione & conſenſu ipſius Sanctæ Synodi. Et ſi contrarium feciſſet, ac faceret in futurum, aut aliquos proceſſus, ſeu mandata contra dictos officiarios aut alios quoſcumque huic Sacro Concilio adhærentes, etiam cenſuras Eccleſiaſticas vel alias quaſcumque continentes, ut ipſum ſequantur, fulminaſſet, fulminaret, ſeu fulminaverit, totum id ſit irritum & inane.

165. Confratres mei, qui iſtius Conſtantienſis Concilii Acta & hiſtorias legerunt, ſciunt tres fuiſſe illo tempore contendentes de Papatu, & ſingulos prætendiſſe quod ipſorum electio fuiſſet legitima. Singulis adhærebant reſpectivè Principes, iiſque ſubjectæ provinciæ & Epiſcopi.

166. Principaliter ad tollendum hoc ſchiſma, & errores, qui interim Eccleſiam inficiebant, agentibus variis Principibus præcipuè autem Sigiſmundo Imperatore electo, Joannes dictus XXIII. (qui etiam promiſerat ſe pro bono unionis Papatui renuntiaturum) indixit Generale Concilium Conſtantiæ: ad quod venerunt illi, qui ipſum pro Pontifice agnoſcebant, ac ipſe etiam Sigiſmundus Imperator cum multis Germaniæ & Hungariæ Principibus. Sed illud pro Generali Concilio aut legitimo minimè agnoverunt alii duo de Pontificatu contendentes: videlicet ille qui dictus eſt Gregorius XII. & alter Benedictus XIII. nuncupatus. Nec agnoverunt, qui illis adhærebant.

In Concilii principio, ſeu 1. Martii 1415. obtulit Joannes ibi præſens cedere Papatui, modò etiam cederent Benedictus & Gregorius, prout conſtat ex Actis ipſius Concilii. Sed paulò poſt ſe ſubduxit, quem etiam ſecuti ſunt Prælati aliqui. Trigeſima Martii ejuſdem anni, & ſexta Aprilis, illi qui Conſtantiæ remanſerant, ediderunt illa tria Decreta quæ jam retuli: quæ non poſſunt habere vigorem Canonis conciliaris, quia non conſtabat Joannem eſſe verum Pontificem, nec conſequenter conſtabat de legitima convocatione. Inſuper pro Concilio legitimo illud non agnoſcebant duorum aliorum de Papatu contendentium partes, & in quantum ex dictis tribus Decretis duo prima eſſent vera, ubi non exiſtit certum aliquod viſibile Caput Eccleſiæ, ſeu quando de Papatu contendunt, aut longo tempore vacat Sedes & neceſſitas Eccleſiæ poſtulat Cardinales & Epiſcopos congregari.

167. Nuſquam tamen Conſtantienſes Patres definiverunt, quod

quod extra caſum ſchiſmatis, pro quo tollendo tunc erant congregati, aut caſum non exiſtentis Pontificis, Concilium eſſet ſupra Papam, neque etiam iſta Decreta Seſſionis 4. & 5. uſquam confirmavit Martinus V. vel alius Pontifex, aut Concilium aliquod Generale. Iſta latius probavi ex ipſis Conciliorum Actis in dicta diſquiſitione pag. 13. uſque ad 36.

168. Quibus hoc loco addo quod licet Conſtantienſis Synodus in Decreto 2. addiderit iſta verba: *Et cujuſcumque alterius Concilii Generalis legitime congregati*, nihilominus hoc reſtrinxit ad caſum ſchiſmatis, nam immediatè ſubjunxit, *ſuper præmiſſis ſeu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis.* Quæ reſtrictio fuiſſet inepta ſi Conſtantienſis Synodus cenſuiſſet Concil. Generale eſſe ſupra Pontificem, dum eſt certus & indubitatus ſeu pro tali ab Eccleſia agnitus. Itaque ſola conſideratio verborum (ex quibus mens loquentis intelligitur *l. 7. ff. de ſupellectile legata*) ſufficeret ad convellendum Articulum II. *Declarationis* veſtræ, quo vultis ea quæ de authoritate Conciliorum Generalium ibi dicuntur, non eſſe ad tempus ſchiſmatis detorquenda.

Nihilominus ut etiam hoc irrefragabilibus aliis documentis oſtendam, tranſeo à Concilio Conſtantienſe ad Baſileenſe: quod & quale fuerit fatentur ipſimet Galliæ Scriptores magis ſinceri.

Inter illos noviſſimus eſt Joannes Cabaſſutius in *Notitia Eccleſiaſtica*, quæ prodiit Lugduni *in fine anni* 1680. *cum privilegio Regio.* Sic vero ille ſcribit: pag. 531. "Indictum fuerat Baſileæ Concilium univerſale à Martino V. pontifice maximo, quo è vivis exempto, qui ei ſucceſſit Eugenius papa IV. iſtud ipſum convocavit anno primo, quo Pontificatum iniit, qui fuit ab ortu Chriſti 1431. Eſt Baſilea Galliæ Belgicæ Civitas apud Rauracos haud procul diſtans à ruinis & ruderibus veteris vobis Auguſtæ Rauracorum ad Reni fluenta, condita in confinio Helveticorum, quibus nunc fœdere contributa eſt, & Tribocco-rum qui nunc Alſatii nuncupantur, & Sequanorum, qui ſunt comitatus Burgundiæ, accolæ. Huic Synodo primum præſedit Apoſtolicus Legatus Julianus Cæſarinus Cardinalis Diaconus S. Angeli. Nec ulli dubium fuiſſe initio legitimam, ſed ex quo ſibi ſupra Pontificem Romanum auctoritatem indebitam

 ,, arro-

Digitized by Google

,, arrogavit, plenamque juriſdictionem jubendi, compellendi, ipſumque ſuis juſſionibus non obedientem deponendi, aliumve ,, ejus viventis loco Pontificem obtrudendi, quod demum ab ipſa ,, peractum eſt, deſiit eſſe legitima: ſibique grande vituperium, ,, fœdamque maculam acceſſivit, turbas in omnem Eccleſiam ,, concitando, novumque ſchiſma obtrudendo, quo tempore reſpirare incipiebat à teterrimo annorum quinquaginta ſchiſmate, quo Chriſtiana Reſpublica conflicta fuerat. Priores Concilii Seſſiones circa conſueta præliminaria & præparatoria transactæ ſunt. Cumque pauciſſimi Præſules qui Baſileam conceſſerant jam olim Canonicè inſtituto indubitato & unico Pontifici Eugenio, ejus in privatum ordinem reductionem comminarentur, debitamque Hæreticis pœnam, ni ſe inferiorem, & ,, ſubditum juriſdictioni Synodi profiteretur ejuſque mandatis, ,, obtemperaret; tunc cœpit Concilium pernitioſi ſchiſmatis jactare ſemina, quamvis Conſtantienſis Decretum prætexeret, ſed ,, in diverſa longeque diſpari cauſa. Illud enim juſtam ſibi attribuebat poteſtatem in plures Pontifices invicem contendentes, ,, & univerſam jam pridem Eccleſiam lacerantes, quorum jus obſcurum admodum & ambiguum erat, nec aliud ſupererat remedium extinguendi diuturnum incendium, quo Eccleſia conflagrabat, etiam poſtquam ſinguli contendentium Pontificum ,, fidem jure-jurando aſtrinxerant deponendæ ſuæ dignitatis " propter Eccleſiaſticam unionem & pacem. Itaque Conſtantienſe decretum felici exitu terminatum eſt remoto ſchiſmate. " At ex adverſo cum nulla eſſet in Eccleſia conſciſſio, ſoluſque " Eccleſiæ præeſſet Eugenius quem Fideles omnes legitimum agnoſcebant & colebant Pontificem, eo vivente novum Baſileenſes pſeudo-Pontificem obtruſere.

"His adjunge Pontificem Eugenium juſtam habuiſſe Baſileenſis Concilii aliò tranferendi cauſam, fervente tunc in omni vicinia gravi bello Burgundum inter & Auſtriacum Duces, " ſtantibuſque tunc in armis Bohemiæ Moraviæque Populis, " quorum injuſtis poſtulatis Concilium non poterat aſſentiri. " Jamque etiam tranſactis octo menſibus poſtquam Synodus debuit exordium ſumere, Epiſcopi apud Baſileam non plures tri-

,, bus

" bus, aliique prælati non plures quam decem convenerant, at-
" que ita immerito cœtus ille ſe Sacro Sancti generalis Concilii
" nuncupatione jactabat, & quod longè deterius eſt, de extru-
" dendo ſummo legitimeque electo Pontifice nefaria conſilia ca-
" peſcebat. Hanc ut amoliretur perniciem Eugenius prudentiore
" conſilio Synodum non quidem dirimere, ſed commodiorem in
" civitatem ſcilicet, Bononiam transferre ſategit, eoque Baſileen-
" ſes accivit, qui hac occaſione Pontificem ut criminis reum ab
" apparitoribus ad ſe vocari fecerunt, nec injuſto huic vadimonio
" obtemperantem contumaciæ damnare auſi, ſe nefando depoſi-
" tionis ejus judicio accinxere. Hactenus ille.

169. Conſtat vero ex ipſius Baſileenſis Concilii actis quod jam ab ipſa ſeſſione 2. ſicut animoſitate in Eugenium proceſſerunt, ita magna cæcitate laborare ceperint: ſic enim dixerunt, *& ne de ejuſdem Sacræ Baſileenſis Synodi poteſtate à quoquam dubitetur, ipſa eadem Synodus duas Declarationes ex decretis Synodi Conſtantienſis in præſenti ſeſſione aliis ſuis decretis ſeu editis, ſeu edendis inſerendas ordinavit & decrevit, quarum quidem Declarationum tenor primæ ſequitur, & eſt talis.* *Et primo declarat quod ipſa Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, Generale Concilium faciens & Eccleſiam militantem repræſentans poteſtatem immediatè à Chriſto habet, cui cuilibet cujuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem & ad extirpationem dicti Schiſmaticis.*

170. At verò ſchiſma, propter quod Conſtantienſe Concilium fuerat congregatum, jam erat ſublatum non tantum per electionem Martini V. factam 14. annis antea, ſeu anno 1417. ſed etiam per legitimam ſucceſſionem Eugenii IV. qui proxime Martino ſucceſſerat, & non tantum ab occidentali, ſed etiam ab Orientali Eccleſia (uti plenè conſtat ex Actis Florentini Concilii) pro vero Romano Pontifice, & Petri Succeſſore agnoſcebatur.

Impertinens ergo renovatio illa iſtius Decreti Conſtantienſis. Innovationes enim legum tunc convenienter fiunt, quando recurrit eadem utilitas, vel neceſſitas propter quam conditæ ſunt. Nihilominus quia non aliud dicunt, quam quod dixerat Conſtantienſe Concilium in caſu & tempore ſchiſmatis, maneat illa inno-

vatio à Baſileenſi Concilio facta, licet illius non fuerit tunc aliquis legitimus finis.

171. Duobus cum medio annis poſtea, ſeu anno 1434. in fine Junii, iterum innovaverunt prædicti Concilii Conſtantienſis Decretum, cum eadem clauſula *in his quæ pertinent ad extirpationem ſchiſmatis.* Sed nec Prælatorum numerus exprimitur, ut ſubſcriptiones eorumdem, uti in aliis Conciliis fieri ſolitum.

Interim Eugenius IV. propter cauſas graviſſimas (maximè quia Græcorum Imperator, qui cum ſuis Patriarcha Archiepiſcopis & Epiſcopis ad Concilium venturus erat pro unione facienda cum Eccleſia occidentali, deſiderabat illud haberi in Civitate Maritima, ad quam commodior & propinquior eſſet acceſſus per Mare) Baſileenſe Concilium tranſtulit ferrariam anno 1437. ad quam etiam convenerunt Græci, uti latiùs refertur in Tomis Conciliorum nuper Lutetiæ Pariſiorum impreſſis, in quibus ipſi Concilio Florentino præmittitur ejus hiſtoria, & additur:

127. *Poſtquam per annum ibidem cum Græcis actum & diſputatum fuiſſet, peſtilentia Civitatem invadente, Pontificis authoritate atque omnium conſenſu Florentiam tranſlatum eſt, ubi itidem per quatuor fere menſes diſputatum; ac tandem per diverſos tractatus, re diligentiſſime diſcuſſa ex dictis ac teſtimoniis Græcorum & Latinorum Sanctorum Patrum, Græci in Latinorum ſententiam: cum maxima Pontificis, Imperatoris, atque omnium Patrum lætitia, cum Romana Eccleſia conjuncti ſunt.*

173. Interim pauciſſimi contumaces & ſeditioſi remanſerant Baſileæ, qui anno 1439. 17. kalendas Junii ſeu ſeſſione 33. iterum dixerunt: *Veritas de poteſtate Concilii generalis univerſalem Eccleſiam repræſentantis, ſupra Papam & quemlibet alterum declarata per Conſtantienſe, & hoc Baſileenſe Concilia generalia, eſt veritas Fidei Catholicæ.* Et quod pejus eſt tam ſalutare Eccleſiæ Florentinum Concilium, annullare & caſſare prætenderunt, quaſi non fuiſſet in poteſtate Eugenii (accedente etiam conſenſu & deſiderio Græcorum, Romani Imperatoris, aliorum Principum, & Prælatorum plurimorum, qui relicta Baſilea Ferrariam deinde Florentiam ſe contulerant) in aliam civitatem transferre Baſileenſe Concilium paucis contradicentibus; & ita decreverunt: *Veritas hæc, quod Papa Concilium generale univerſalem Eccleſiam repreſentans, actu legitime congregatum:*

rum ſuper Declaratis in præfata veritate aut aliquo eorum, ſine ejus conſenſu nullatenus authoritative poteſt diſſolvere, aut ad alıud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, eſt veritas fidei Catholica. Deinde proceſſerunt ad Eugenii depoſitionem, & jam dictas veritates ſuas eodem anno 1439. 3. kalendas Novembris renovarunt iterum cum hac clauſula *Apoſtolica Sede vacante.*

Habetis Confratres mei præcuſores Articuli II. veſtræ Declarationis: ſed quales iſti? niſi hoſtes unitatis, ſchiſmatici numero pauci & Eccleſiæ perturbatores. Iſta accipite ex ipſis Conciliorum Actis. Referuntur illa in principio Florentini Concilii, in quo hæc legetis:

174. "In nomine Sanctæ vitæque principii Trinitatis; Patris & Filii & Spiritus S. duæ Chriſtianorum partes, Italorum ſcilicet, & Græcorum hodie conſenſu convenerunt ad indicendam Sacro-Sanctam Oecumenicam Synodum. Et ex una quidem parte Sancti Patres Orientalis Eccleſiæ, videlicet Sereniſſimus Imperator Joannes Paleologus, & Patriarcha Domnus Joſeph, & Archi-Epiſcopi, & Cruce ſignati, & Primarii Orientalis Eccleſiæ, Sacerdotes, Diaconi, ejuſque univerſus Clerus: ex altera verò ſimiliter Italorum parte tota Sancta Occidentalis Romana Eccleſia, ſcilicet Beatiſſimus Papa cum univerſo ſuo Sacerdotali Ordine. Conſentimus, & contenti ſumus, ut Sancta & œcumenica hæc Synodus celebretur in hac Urbe Ferraria, in Templo S. magnique Martyris Georgii, quod ſitum eſt in hac ipſa media Urbe; & indicimus, & ſpatium damus, quod ab hoc tempore, anno ſcilicet M. CCCC. XXXVIII. die 9. menſis Aprilis, indictionis primæ, ſumatur ad menſes quatuor; ut in omnibus locis, & Regnis Chriſtianorum notum ſit omnibus, atque omnes conveniant, reliqui etiam Baſileenſis Concilii, quique Romæ ſunt, & omnis Chriſtianus, quicumque advenire voluerit, veniat ad tempus conſtitutum. Quod ſi quis deſpexerit, aut aſpernatus fuerit hanc S. Synodum, neque advenerit, uſque ad præfinitum tempus, ut excommunicationi ſubjaceat, *niſi amplexus fuerit quæcumque ab hac legitima Synodo fuerint decreta.* Et ſi quiſpiam, eminente ſit ſtatu, aut Doctor, aut Eccleſiaſtico fungatur officio, dicimus mittendam eſſe ab eo ſuam confeſ-

„ ſionem, aut Vicarium, ſi nequeat ipſe venire; utque approbet „ atque recipiat quæcunque Sancta Synodus decernet: quod ſi „ rejecerit, ut diximus, *ſit Excommunicationis cenſura perculſus.* Paulo poſt legetis ibidem alia, quomodo ſcilicet ipſummet Baſileenſe Concilium, paucis eorum qui ibi congregati erant, reluctantibus, conſenſerit tranſlationi. Sic enim dicitur.

175. "Sanè Dilectiſſimus Filius noſter Joannes Paleologus „ Romæorum imperator, una cum Piiſſimo Fratre noſtro Joſe„ pho Conſtantinopolitano Patriarcha, & reliquis Patriarcha„ lium Sedium Vicariis, magnoque Archi-Epiſcoporum, Epiſco„ porum Eccleſiaſticorum hominum, ac aliorum Nobilium Co„ mitatu, ad diem 8. proximi menſis Februarii Venetias; id eſt „ in portum ultimum, venere; ubi ſe Imperator, ut ſæpè etiam „ antea fecit, juſtis de cauſis, Baſileam ire non poſſe ad celebran„ dam œcumenicam Synodum apertè declaravit: quod etiam per „ Litteras Baſileæ congregatis ſignificavit; adhortans omnes, „ atque illud ab omnibus flagitans, ut Ferrariam quæ ad habendam „ hujuſmodi Synodum delecta eſt, quo perficiatur adeò pium „ opus, ſe conferant. Nos igitur, quibus ſemper Sacratiſſima hæc „ unitas maximè cordi eſt, ſummo illam ſtudio perfici cupientes, „ Decretum Baſileenſis Concilii, communi ejus & Græcorum „ conſenſu factum, & loci delectum, in quo Synodus œcume„ nica fieret; *in eadem Synodo ab iis, qui Baſileæ coacti ſunt, habi„ tum*, & per nos deindè Bononiæ confirmatum, inſtantibus „ etiam ipſis tum Imperatoris, tum Patriarchæ Legatis: necnon „ alia quæcumque ſpectant ad hoc S. opus conjunctionis, prout „ noſtræ ſervitutis exigit debitum, promovere atque ad finem „ perducere vehementer ſtudemus. Omni igitur meliori modo „ & forma decernimus, & declaramus conſentientibus dictis Im„ peratore, & Patriarcha, qui præſentes hic ſunt; & omnibus qui „ ad hanc Synodum convenere, Sacram œcumenicam Synodum „ eſſe in hac Urbe Ferraria, libero tutoque loco celebrandam, at„ que ita debere dictam Synodum ab omnibus haberi & nomi„ nari".

176. Videte ergo Confratres mei, an admittatis integrè definitionem hanc Florentini Concilii, in quam Græci & Latini conve-

convenerunt: *Definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum Succeſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſq; Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi & gubernandi Univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto traditam eſſe quemadmodum etiam in geſtis œcumenicorum Conciliorum & in Sacris Canonibus continetur.*

177. Si non admittitis, videte ne ſitis excommunicati. Si admittitis, delete uno calami tractu totam veſtram Declarationem. Si enim *plena poteſtas tradita eſt ipſi à Chriſto regendi & gubernandi Univerſalem Eccleſiam*, ipſi tradita eſt illa indirecta poteſtas, (quam ſupra expreſſi) quoad temporalia: quando abſque illius uſu periclitaretur Eccleſia, vel Regnum aut Provincia averteretur à fide & religione. Chriſtus enim dum tradidit poteſtatem *plenam gubernandi Univerſalem Eccleſiam*, nullam ejus partem excepit: non Principem, Baronem, Domicellum, aut alium habentem ſubditos.

178. Si eſt totius Eccleſiæ Caput, non eſt infra Concilium etiam Generale: nec ulla vi coactiva cogi poteſt, ut obediat illis quæ à Concilio ſunt Decreta, multò minùs poteſt deponi eo titulo quod Concilio non obediat. Si exiſtit *omnium* Chriſtianorum *Paſtor ac Doctor*; eſt etiam *Doctor & Paſtor omnium Epiſcoporum*, quamvis ſint conciliariter congregati: & ejuſdem definitiones in quæſtionibus fidei (de quibus agitis Articulo IV. non dependent à conſenſu Eccleſiæ, ſed ſunt irreformabiles.

Alias non magis Chriſtianorum omnium Doctor exiſteret quam Sancti Baſilius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, D.Thomas, & B.Bonaventura: adeoque nihil præ illis ſpecialiter Vicario ſuo contuliſſet Chriſtus. Si denique plena poteſtas ipſi data eſt paſcendi, regendi, & gubernandi Eccleſiam Univerſalem, non poteſt (quod tamen Articulo III. veſtræ *Declarationis* prætenditis) per Decretum vel Decreta Seſſionis 4. & 5. Concilii Conſtantienſis, facti tempore & occaſione ſchiſmatis, limitari poteſtas ejus, qui eſt indubitatus Petri Succeſſor.

179. Perpendite etiam qualiter cenſuras & notas doctrinæ veſtræ, & Baſileenſibus iſtis, illatas diluetis, & à vobis amovebitis.

Digitized by Google

Sic enim in dicta Florentina Synodo (quæ ideò Florentina dicta eſt , quia ad Civitatem Ferrarienſem convocata , & ibidem inchoata, ob ſupervenientem peſtem tranſlata Florentiam in eadem finem accepit) dicitur : "A recta linea per anfractus erroris exor-,, bitantes prætenſam quamdam XVII. kalendas Junii (19. *Martii* 1682.) proximè præteriti Seſſionem fecerunt , in qua qui-,, buſdam Decretis , licet per unam tantum ex tribus obedientiis ,, poſt receſſum Joannis XXIII. ſic in eadem obedientia nuncu-,, pati , Conſtantiæ ſchiſmate tunc vigente editis , inhærere ſe di-,, centes , tres propoſitiones , quas *Fidei veritates vocant* , quaſi nos ,, & omnes Principes & Prælatos , & alios fideles & devotos A-,, poſtolicæ Sedis hæreticos facerent, protulerunt ; quarum tenor ſequitur in hæc verba".

"Veritas de poteſtate Concilii Generalis Univerſalem Eccle-,, ſiam repræſentantis ſupra Papam , & quemlibet alterum , decla-,, rata per Conſtantienſe & hoc Baſileenſe Generalia Concilia , ,, eſt veritas Fidei Catholicæ. Veritas hæc , quod Papa Conci-,, lium Generale Univerſalem Eccleſiam repræſentans , actu le-,, gitimè congregatum , ſuper declaratis in præfata veritate , aut ,, aliquo eorum , ſine ejus conſenſu nullatenus auctoritativè po-,, teſt diſſolvere, aut ad aliud tempus prorogare de loco ad locum transferre, eſt veritas Fidei Catholicæ".

"Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnas, eſt cen-" ſendus". Confratres mei nunquid in effectu idem dicitis & vultis , dum omnes Regi Galliæ ſubditos per recurſum ad Regem cogitis eadem ſentire ?

Audite quod ſequitur : " In hoc pernicioſiſſimi dum ſuam " Malignitatem ſub veritatis fidei fuco colorant , Conſtantienſe " concilium in malum ac reprobum ſenſum , & à ſana doctrina pe-" nitus alienum pertrahunt, cæterorum Schiſmaticorum & Hære-" ticorum falſam doctrinam ſequentes , qui confictos errores & " impia dogmata ex Divinis Scripturis & Sanctis Patribus per-" versè intellectis ſemper ſibi adſtruere moliuntur. Deinde a-" vertentes penitus ſenſum , & declinantes oculos ſuos , ne vide-" rent cælum , neque recordarentur judiciorum juſtorum &c. *tum paulo infra* :

180. "Ipſaſque propoſitiones ſuperius deſcriptas, juxta pra-
" vum ipſorum Baſileenſium intellectum, veluti Sacro-Sanctæ
" Scripturæ & Sanctorum Patrum, & ipſius conſtantienſis con-
" cilii ſenſui contrarium, cum omnibus inde ſecutis, & quæ in
" futurum ſequi poſſent, tamquam impias & ſcandaloſas, nec
" non in manifeſtam Eccleſiæ Dei ſciſſuram, ac omnis Eccleſia-
" ſtici ordinis & Chriſtiani Principatus confuſionem tendentes,
" ipſo Sacro approbante Concilio damnamus & reprobamus, ac
" damnatas & reprobatas nuntiamus.

" Decernimus etiam & declararamus, omnes & ſingulos præ-
" dictos fuiſſe & eſſe Schiſmaticos & Hæreticos; & ultra pœnas
" in præfato Ferrarienſi Concilio declaratas, tamquam tales cum
" omnibus eorum Fautoribus & defenſoribus, cujuſcumque ſta-
" tus, conditionis & gradus Eccleſiaſtici vel ſæcularis extiterint,
" etiamſi Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali
" Abbatiali, aut alia quavis dignitate præfulgeant, ut cum præ-
" dictis Core Dathan & Abiron meritam accipiant portionem,
" pœnis condignis omninò puniendos.

CONSVLTATIO XVI.

Quid in hac perplexitate vos facere oporteat.

181. Confratres mei vix mihi perſuadere poſſum, quod doctrinam veſtram habeatis pro articulis fidei. Non poteſtis ignorare alios Chriſtiani orbis Catholicos innumeros aliter cenſuiſſe & ſentire. Percurrite Germanos, Hiſpanos, Belgas, Italos &c. hujus ſæculi, qui ſcripſerunt in Summam Divi Thomæ. Et ne diu quærere debeatis, videte in 2. 2. quæſt 1. Non ignoratis plurimos in Gallia alterius eſſe ſenſus. Alias enim quid opus fuerat ad Brachium ſeculare, ſeu Regem, recurrere, ut omnibus Regni ſubditis prohiberetur ne contrarium ſentirent aut ſcriberent, *prout habet Articulus 1. Edicti Regii:* ut Profeſſores omnes veſtræ doctrinæ ſubſcriberent, & ad illam docendam ſe ſubmitterent, *ſic habet Articulus* 2. & re ipſa ſæ-

Digitized by Google

pius ſecundum illam docerent, *ut habet articulus* 4. Idque ſub pœna repulſæ à gradibus ; niſi in una Theſium ſuarum illam ſuſtinuiſſent, *ſic dicitur Articulo* 5.

182. Perpendite latius ſingulas clauſulas illius edicti, relati in principio hujus opuſculi, verba ſingula. Vos ipſi non eſſe juſtum omnium Gallorum ſenſum aperte ſignificaſtis dum in fine Declarationis veſtræ dixiſtis : *Quæ ad omnes Eccleſias Gallicanas atque Epiſcopos mittenda decrevimus : ut idipſum dicamus omnes, ſimusq́; in eadem ſententia.*

183. Solis fidei articulis hoc debetur, quod intellectus illis ſe ſubmittere debeat, de quibus dixit Paulus in 2. ad Corinht. 10. *in Captivitatem redigentes omnem intellectum.* Aut ergo doctrinam veſtram habetis pro articulo Fidei : aut temere obligare omnes alios voluiſtis ut idem ſentirent & docerent. Authoritatem condendi novos articulos fidei, à quo accepiſtis ? Si autem non eſſe novos prætendatis, dicite mihi in quo Concilio generali vel Conciliis tradita ſunt omnia illa, quæ in veſtris quatuor Articulis comprehenſa ſunt ? In quo loca S. Scripturæ Articulo 1. vobis allegata, explicata ſunt eo modò, quo illa intellexiſtis, & juxta veſtrum intellectum intuliſtis ? Si Generale Concilium vel Concilia exhibere non poteſtis, ſicuti etiam non exhibebitis Eccleſiæ Catholicæ conſenſum ; quomodo vultis, ut veſtræ Galliæ Profeſſores, aut alii qui hactenus aliter, (ut ſupponit clauſula finalis veſtræ Declarationis, & recurſus ad brachium ſæculare) agant contra propriam conſcientiam, dicant & doceant contra id quod credunt in Sacris Litteris, Conciliis, Canonibus, & Patribus contineri.

184. Quid igitur vobis reſtat in hac perplexitate aliud, quam quod ſicuti Baſileenſes Patres errando ſicuti eſtis, ita ſequamini vos corrigendo. Cujuſvis hominis eſt errare, ſed non, niſi inſipientis in errore perſeverare. Ecce quid egerant & quomodo tandem receſſerunt ab errore Baſileenſes.

185. Ex prætenſa illa Conciliorum Generalium ſupra Pontificem authoritate Eugenium IV. declaraverant Schiſmaticum, & hæreticum ; tentaverant eum deponere à Papatu, & Amedæum Sabaudiæ Ducem, quem Felicem V. nominarunt, elegerant in Sum-

Summum Pontificem: qui tamen pro tali non eſt agnitus, niſi à ſui territorii ſubditis, & quibuſdam, quos ad Cardinalatum promoverat.

Ad Lauſanenſem Civitatem præfato Duci ſubjectam ſe contulerunt Baſileenſes, & ibi aliquamdiu continuarunt ſchiſma. Obiit Eugenius anno 1446. in Februario: & 13. die ab ejus morte electus eſt Nicolaus V. cui non diu poſt ſe ſubmiſit Amedeus, Pontificatui prætenſo renuntians: ſubmiſerunt ſe Baſileenſes, & Congregationem, quam Lauſanæ continuabant, diſſolverunt. Id conſtat ex Bulla Nicolai V. data 14. Kalendas Julii an. 1449. in qua inter cætera dicitur:

186. *Cum poſt crebras variaſq; conturbationes, quibus multis ab annis Sancta Dei ſubjacuit Eccleſia, cauſantibus diviſionibus, quæ inter felicis recordationis Eugenium Papam IV. Prædeceſſorem noſtrum, & tunc Baſileenſe Concilium viguerunt, hoc in noſtro tempore; tractatuq; Oratorum cariſſimorum in Chriſto Filiorum, Francorum, Angliæ, & Renati Siciliæ Regum, necnon Delphini Viennenſis Primogeniti Francorum Regis Illuſtris, pacem Eccleſiæ redditam videbamus, dum percepimus Venerabilem & Chariſſimum Fratrem noſtrum Amedeum primum Cardinalem Epiſcopum Sabinenſem, in nonnullis Provinciis Apoſtolicæ Sedis Legatum Vicariumq; perpetuum, Felicem Papam V. tunc in ſua obedientia nominatum, juri quod in Papatu aſſerebat ſe habere, ad hujuſmodi pacem Eccleſiæ obtinendam ceſſiſſe: eos verò qui Baſileæ, poſtmodum Lauſanæ ſub nomine Generalis Concilii hactenus congregati permanſerunt, ordinaſſe & publicaſſe nobis tamquam unico ac indubitato Summo Pontifici obediendum eſſe à cunctis fidelibus, & præfatam Lauſanenſem diſſolviſſe Congregationem. Deſiderantes toto affectu ea perficere quibus Chriſti fideles, ſuppreſſis & extinctis differentiarum ſeminariis, communi fruantur concordia, cujuſlibet &c.*

187. Nec tantum illi ex Baſileenſibus qui Lauſanam ſe contulerant, agnoverunt errorem ſuum ſub Nicolao V. Sed etiam antea multi alii ſub Eugenio, de quibus Æneas Sylvius, dictus poſtea Pius II. in Bulla retractationum ſcribit: *Quod audiens Thomas Aſſelbachius ex Germania inſignis Theologus, nunc, inquit, ſcio Baſileenſes ſpiritum Sanctum non habere ductorem, quando tam aquam Imperatoris legem effugiunt. Idem multi alii dixere Viri Doctiſſimi & opinione ſanctitatis illuſtres. Quibus conſideratis, caligo tandem ab oculis no-*

ſtris cecidit, quæ velut aranearum tela verum cernere impediebant. "Re-"cognovimus errorem noſtrum, venimus Romam, Baſileenſe dog-"ma rejiciemus, Eugenio Pontifici maximo caput ſubmiſimus, & reconciliati Eccleſiæ Romanæ, doctrinam ejus imbuimus". *Et illud Hieronymi diximus: Ego nullum præmium niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri, communione conſocior. Super illam fundatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum Dominicum comederit, profanus eſt: Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. Eramuſq; adhuc penè laici, quando ad Eugenii obedientiam redivimus. Ex Baſilea Clericali tantum charactère inſigniti receſſimus, nec unquam ſacros imbuimus ordines, niſi poſt veritatem cognitam;* Baſileenſi cæcitate relicta. *In Auſtria minores Ordines ac Subdiaconatum & Diaconatum recepimus: in urbe ad Presbyteratum pervenimus. Hæc eſt converſatio noſtra per hos gradus è tenebris ad lucem migravimus. Ad quam rem non parum luminis nobis attulit Thomas Sarazanus Theologicæ ſapientiæ celebratus, ac acutiſſimus, interpres, qui poſteà in ſummo collocatus Apoſtolatu, Nicolai V. nomen accepit. His auctoribus unam Eccleſiam Catholicam & apoſtolicam eſſe didicimus matrem omnium fidelium, extra quam non invenitur ſalus, Sponſam Chriſti immaculatam, in qua omnes qui militant, finem ſibi proponunt vitam æternam.*

188. Quæ vero fuerit illa lex Imperatoria, explicatur in eadem Bulla his verbis: *Cumq; Cæſar ad unionem Eccleſiæ procurandam in Nurimberga ſuæ Nationis Conventum inſtituiſſet, decreviſſetq; ſummum Pontificem adhortari, ut Conſtantiæ novum Concilium indiceret, legatumq; mitteret, ut eò ſe transferrent, ut ibi pax Eccleſiæ redderetur, primi Baſileenſes recuſavere.* Latiùs in dicta Bulla refert Pius eorumdem machinationes; quarum fuit optimè conſcius, utpote qui tempore Concilii iſtius Baſileæ fuit, & pro illo contra Eugenium ſtetit, id refert in Proëmio dictæ Bullæ, quam ad Colonienſem Univerſitatem (quorum aliquos ſuis ſcriptis ſeduxerat) direxit.

189. *In minoribus agentes*, inquit, *nondum ſacris Ordinibus initiati, cum Baſileæ inter eos verſaremur, qui ſe Generale Concilium facere, & univerſalem Eccleſiam repræſentare ajebant, dialogorum quemdam libellum ad vos ſcripſimus, in quo de authoritate Concilii Generalis, ac de geſtis Baſileenſium, & Eugenii Papæ contradictione, ea probavimus vel damnavimus, quæ damnanda vel probanda cenſuimus: quantum capiebamus, tantum de-*

ſen-

ſendimus, aut oppugnavimus: nihil mentiti ſumus, nihil ad gratiam, nihil ad odium retulimus. Exiſtimavimus benè agere, & recta incedere via: nec mentis noſtræ aliud erat objectum, quam publica utilitas & amor veri. Sed quis non errat mortalis? Sapientem inquiunt Philoſophi nunquam errare: verum eſto. At quis Sapiens, niſi bonus? Quis bonus, niſi ſolus Deus? Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum, *inquit Propheta Regius. Declinavimus & nos ab utero matris, erravimus in invio, & non in via: ambulavimus in tenebris, & procul à vera luce receſſimus: nec nobis tantum erravimus, alios quoque in præcipitium traximus, & cæcis ducatum præbentes cæci, cum illis in foveam recidimus. Forſitan & aliquos ex vobis Scripta noſtra decepere, & de via deduxerunt: quorum ſanguinem ſi de manibus noſtris requiſierit Dominus, non habemus quod reſpondere poſſimus, niſi nos, ut homines, peccaviſſe, qui arbitrantes rectum iter oſtendere, obliquum monſtravimus.*

190. Habetis, Confratres mei, exemplar, & quidem ipſorum Baſileenſium priſtinos errores ſuos, & pravam Concilii Conſtantienſis interpretationem, veſtræ non abſimilem, deſerentium & revocantium: & talium quidem quorum multi teſte Pio II. rerum Baſileenſium maximè conſcio, *fuerunt doctiſſimi, & opinione ſanctitatis illuſtres.* Videte nunc an non accommodatitiè vobis dicatur illud, quod dictum eſt Exodi 25. v. ult. *Inſpice & fac ſecundum exemplar, quod tibi monſtratum eſt.*

191. Non objiciatis etiam (quod nuper anonymus vobis ſimilis objecit in manuſcripto contra Libellum, cui titulus *Doctrina quam de Primatu &c. tradiderunt Lovanienſes Declarationi Cleri Gallicani oppoſita*) Colonienſem Univerſitatem ſtetiſſe pro Baſileenſi Concilio contra Eugenium: qua enim ratione ſteterint aliqui, poterit Anonymus ille ex jam dicta Pii II. Bulla cognoſcere. Plura contra illud folium (quod ex Scriptis Galli, quem non nominat, fere totum præclaro plagio deſumptum eſt) dabo in Opuſculo ſequenti, niſi me ille, qui impetitur, præveniat.

Digitized by Google

CONSVLTATIO XVII.

Videte ne dum authoritatem Conſtantienſis Concilii ultra debitum extollitis in Articulo 2. Veſtrá Declarationis, primum ejuſdem penitus deſtruatis.

192. IN Conſultatione III. aliqua attuli, per quæ oſtendi, quod dum Articulo I. veſtræ *Declarationis* omnem authoritatem indirectam adimitis Eccleſiis veſtris circa temporalia Principum, Comitum, Baronum, Domicellorum habentium ſubditos; contradictis illis, quæ de authoritate Concili Conſtantienſis dixiſtis Articulo 2. & iis quæ de authoritate Baſileenſis Concilii dicunt ex veſtris diverſi præſertim Anonymi. In Conſultatione XIV. oſtendi ſimiliter quomodo contradicatis Generali Concilio Florentino per interpretationem quam Articulo 2. datis ſuper decretis Seſſionis 4. & 5. Concilii Conſtantienſis, *in Diſquiſitione Theologica n.* 71. 72. *&* 73. oſtendi quomodo illi veſtri Anonymi contradicant Concilio Generali Lateranenſi ſub Leone X. dum ad Baſileenſe Conciliabulum appellant. Addo hic aliqua alia ex ipſo Concilio Conſtantienſi, quæ debent eſſe longe majoris authoritatis, quam illa, quæ habentur Seſſ. 4. & 5. ejuſdem Concilii: & quæ iterum veſtrum Articulum 1. deſtruunt.

Ecce quid in Seſſ. 28. (quæ fuit ſolemnior quarta & quinta, quia jam erant juncta duæ obedientiæ videlicet Joannes XXII. & Gregorii XII. plurimi quoque receſſerant ab obedientia Benedicti XII.) Decretum fuit adverſus Fridericum Auſtriæ Ducem:

293. "Quia per eandem Sanctam Synodum conſtituti fuerunt Commiſſarii tam de Sacro Collegio Reverendiſſimorum „ Patrum Dominorum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, quam „ de nationibus ſingulis, ad cognoſcendum, videndum & examinandum, an antedictum monitorium eſſet debitè executum: „ dictiſque Commiſſariis referentibus, ex productis conſtare,

dictum

,, dictum monitorium fuiſſe debitè & in locis deputatis executum
,, conſtetque notoriè dictum *Fridericum Ducem & alios occupatores*
,, *& detentores, necnon Vaſſallos, Nobiles, Capitaneos, Officiarios & Subditos*
,, *ſupradictos, nullatenus præceptis in dicto monitorio contenti paruiſſe.* Sed
,, eumdem Fridericum Ducem & alios occupatores & detento-
,, res ſupradictos dictam Eccleſiam Tridentinenſem, Civitatem,
,, terras, Oppida, Caſtra, Villas & alia jura & bona prædicta te-
,, nere indebitè & contumaciter occupatas & occupata, contra
,, ſententiam & præceptum Sereniſſimi Regis Romanorum, cui
,, jurejurando ſtare promiſit, de quo & ejus obligatione conſtat
,, publicis documentis; ideò volens præfata Synodus *tantam ino-*
,, *bedientiam & rebellationem notoriam ulciſci cum Apoſtolo*, ne tanti mali
,, perverſitas tranſeat præſumptoribus exemplum, per hanc ſen-
,, tentiam, quam fert in his Scriptis, pronuntiat, decernit & de-
,, clarat, dictum *Friderium Ducem Auſtriæ* Anathematis & Sacrilegii
,, vinculis innodatum, perjuriique reum, necnon pœnas privatio-
,, nis & inhabilitationis in Conſtitutione Carolina prædicta
,, contentas, eumdemque Fridericum Ducem & alios occupato-
,, res & detentores, tam Eccleſiaſticos, quam ſæculares Vaſallos,
,, Nobiles, Capitaneos, Officiarios & Subditos inobedientes &
,, rebelles Eccleſiæ & Civitatis Tridentinenſis, ac Oppidorum,
,, Caſtrorum, terrarum, Villarum & locorum, necnon jurium &
,, locorum dictæ Eccleſiæ, *cujuſcumque Status, Gradus, Conditionis,*
,, *Dignitatis, aut præminentiæ*, etiamſi Ducalis fuerint, pœnas, ſen-
,, tentias & cenſuras, aliàs in dicto monitorio comprehenſas &
,, expreſſas incidiſſe; ipſiuſque Friderici Ducis Auſtriæ & alio-
,, rum occupatorum, detentorum, & alia loca quæcumque Eccle-
ſiaſtico ſuppoſita interdicto.

294. Pœnæ verò expreſſæ in monitorio, quod refertur *Seſ.* 20, ejuſdem Concilii, ſunt hæ: *Sub Anathematis, Sacrilegii, privationis omnium bonorum feudalium, quæ ab Eccleſia ſeu Imperio obtinent, & inhabilitationis ſuæ & filiorum ſuorum maſculorum ad obtinendum tam feuda, quam officia & beneficia uſque ad ſecundam Generationem, & honoris & famæ ac communionis in Conciliis Principum &c.*

295. Poſtquam verò electus fuit Pontifex Martinus V. durante adhuc Concilio, quod demum concluſum fuit & abſolutum

10. Ka-

10. Kalendas Junii 1418., ita fuit decretum in confirmatione eorum quæ prius fuerant contra hæreſes ſtatuta, & dictum in hunc modum:

Nec non præſentes literas, in civitatibus Diœceſibus, terris & locis aliis, ubi tute fieri poterit, auctoritate noſtra ſolemniter publicetis & publicari faciatis, omnes & ſingulos Hereticos hujuſmodi, nec non ſectatores ipſarum hæreſum & errorum utriuſque ſexus, tenentes & alias defendentes eoſdem, aut Hæreticis ipſis quomodolibet publice vel occulte in divinis vel aliis participantes, etiam ſi Patriarchali, Archi-Epiſcopali, Epiſcopali, Regali, Reginali, *Ducali, aut alia quavis Eccleſiaſtica vel mundana præfulgeant dignitate, nec non Advocatos & Procuratores quoſlibet, qui Hæreticos hujuſmodi aut eorum credentes, Sequaces, Fautores, Defenſores & Receptores ſuper crimine hæreſis aut infidelitatis, ſequelæ, Fautoriæ, defenſionis & receptationis hujuſmodi defenderint, excommunicatos ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis in præſentia populi nuntietis, & per alios nuntiari faciatis. Et nihilo minus contra eoſdem omnes & ſingulos utriuſque ſexus, hujuſmodi errores tenentes, approbantes, defendentes, dogmatizantes, ac Fautores & receptatores & Defenſores eorundem, exemptos & non exemptos, & quemlibet ipſorum, cujuſcumque dignitatis ſtatus præminentiæ, gradus, ordinis vel conditionis (ut præfertur) exiſtant, auctoritate noſtra diligenter inquirere ſtudeatis, & eos quos per inquiſitionem hujuſmodi diffamatos, vel per confeſſionem eorum ſeu per facti evidentiam, vel alias hujuſmodi hæreſis & erroris labe reſperſos reperietis, auctoritate prædicta etiam per Dignitatum Perſonatuum & officiorum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum ac Feudorum, quæ à quibuſcumque Eccleſiis, Monaſteriis ac aliis locis Eccleſiaſticis obtinent,* ac etiam bonorum & Dignitatum ſæcularium ac graduum Scientiarum quarumcumque facultatum, *& per alias pœnas, Sententias & Cenſuras Eccleſiaſticas, ac vias & modos quos ad hoc Expedire, ſeu opportunos eſſe videritis, etiam per captiones & incarcerationes perſonarum, & alias pœnas corporales, quibus Hæretici puniuntur, ſeu puniri jubentur, aut ſolent juxta Canonicas Sanctiones, &c.*

Iſta cum Doctrina veſtra conciliate. Interim pergo breviter ad alios duos ejuſdem Articulos.

CON-

CONSULTATIO XVIII.

Non eſſe imponendum vulgo per Magnifica verba, quibus utimini Articulo 3. veſtra Declarationis.

196. CONfratres mei prima pars Articuli 3. veſtræ Declarationis quo dicitis, *Hinc Apoſtolicæ poteſtatis uſum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos & totius mundi reverentia conſecratos*, examinata eſt in *diſquiſitione* Articulo 6. Pars altera, qua dicitis *valere etiam regulas, mores, & inſtituta à Regno & Eccleſia Gallicana recepta: atque id pertinere ad amplitudinem Apoſtolicæ Sedis, ut ſtatuta & conſuetudines tantæ Sedis & Eccleſiarum conſenſione firmata, propriam ſtabilitatem obtineant*, examinata eſt ibidem Articulo 7. Sed alia ſunt, ſuper quibus merito deliberare vos oportet. Canones Conciliorum Galliæ Doctrinæ veſtræ contrarios exhibui hîc *Conſultatione 8. pag. 39. & ſequentibus*; illos Concilium Tricaſſinum, cujus verba citavi n. 55. dicit, *eſſe Spiritu Dei conditos & totius mundi reverentia conſecratos.* An ergo Spiritus Dei ſit ſibi contrarius, aut mentiti ſint vel decepti Epiſcopi Tricaſſinæ Synodi? Si hoc probare non poteſtis, quomodo ſtat veritas primæ partis Articuli 3.? aut quinam ſunt illi veſtri Canones? in quibus editi Conciliis? aut à qua poteſtate? quo ſæculo? Quo iſtius ſæculi anno cœpit illa totius Mundi *reverentia* qua conſecrati ſunt prædicti Canones veſtri. An cœpit à Concilio Conſtantienſi & continuata per Baſileenſe ac Bituricenſe?

197. Si hoc dicitis (prout videmini dicere per veſtram particulam *hinc*, quæ eſt conjunctiva, & apparet quod ſit illativa ex articulo præcedenti, quomodo non contradicitis vobis, negando Eccleſiæ poteſtatem etiam indirectam circa temporalia Principum? uti ante oſtendi. Quam ipſi Eccleſiæ competere cenſuit Conſtantienſe & Baſileenſe Concilium. Bituricenſe autem fuit abrogatum per ipſummet Franciæ Regem nec non per Lateranenſe concilium ſeſſione 11. ſub Leone X. & Declaratum Schiſmaticum, ſicuti etiam Baſileenſe. Dicti concilii Lateranenſis verba retuli in *diſquiſitione n.* 71. 72. 73.

198. Denique quomodo ſecundæ parti veſtri Articuli 3. non con-

contradicitis voſipſi per extenſionem Regaliæ, quam feciſtis tertia Februarii hujus anni, in qua dicitis: *Avons reſolu de mettre le droit de Regale univerſelle hors de doute & de conteſtation, & pour cet effet avons conſenti & conſentons par ces préſentes, entant que beſoin ſeroit que le meme droit de Regale, dont ſa Majeſté joüiſſoit ſur la plus grande partié de nos Egliſes avant l'Arreſt du Parlement du vingt-quatriéme d'Avril* 1608. *demeure éntendu à toutes les Egliſes du Royaume.* Cur conſuetudines tot Eccleſiarum, quæ hucuſque non fuerant ſubjectæ Juri Regaliæ, ipſius etiam ſanctæ Sedis conſenſione firmatæ, non obtinent modo propriam ſtabilitatem?

199. Super his, Confratres mei, merito deliberare vos convenit, & exhibere illos *Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos*, in quibus doctrina veſtra fundata eſt. Neque enim credet unquam orbis Chriſtianus vos tanta pollere ſcientia & infallibilitate, ut nudæ aſſertioni veſtræ fides abhibenda ſit. Imo cum apud multos vacillet, intereſt honoris veſtri, ut illos videamus; aut potius (quia exhibituri non eſtis) imitemini Baſileenſes Patres, ipſum Æneam Sylvium, & alios qui Baſileæ errarunt, ac ingenuè revocetis errores. Hoc ad æternam vobis proderit ſalutem, aliàs væ in valle Joſaphat.

CONSULTATIO XIX.

Nolite per malitiam, vel ignorantiam imponere vulgo circa ſignificationem vocis ex Cathedra, *dum Theologi definitiones S. Sedis* ex Cathedra factas *diſtinguunt ab aliis.*

200. Confratres mei Articulo IV. *Declarationis veſtræ* dicitis: *In fidei quoque Quæſtionibus præcipuas Summi Pontificis eſſe partes, ejuſq; Decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinere: nec tamen irreformabile eſſe judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus accesserit.* Valdè liberaliter vobiſcum egi, & cum Illuſtriſſimis Epiſcopis quibus Conſilio adfuiſtis, dum in *Diſquiſitione* mea Articulo I. non tantum conceſſi vobis quod Summi Pontificis judicium eſſet aliquando reformabile, ſed etiam probavi. Verùm Articulus IV. veſtræ *Declarationis* aliud continet: hæc enim verba *nec tamen irreformabile eſſe* univerſaliter ſonant: ipſaque univerſalitas

litas clariſſimè exprimitur per particulam exceptivam *niſi* &c, Regula enim eſt, *quod exceptio firmet regulam in caſibus non exceptis.*

201. Dixi iſta in *Diſquiſitione* Articulo VIII. ubi etiam oſtendi vix futurum, ut obtineatur conſenſus omnium ex toto orbe Epiſcoporum. Convocatio verò Concilii Generalis quot habebit moras, difficultates, contentiones de tempore, loco & aliis circumſtantiis priuſquam ad rei diſcuſſionem perveniatur. Articulo autem X. & XI. oſtendi per continuam ſeriem, à primis Catholicæ Eccleſiæ ſæculis uſque ad præſens, Gallorum antecedentium ſententias, doctrinæ veſtræ oppoſitas: per quas conſtat Chriſtum ita Eccleſiæ ſuæ providiſſe, ut Vicarium ſuum non ſineret falli, quoties ex Cathedra definit quæſtionem, quæ pertinet ad fidem.

202. Sed, Confratres mei, inſigniter impoſtores, vel ignari ſunt doctrinæ veſtræ Patroni, aut Diſcipuli veſtri. Inter quos unus mihi apprimè notus in plurium conſortio exploſurus iſtam diſtinctionem definitionum *ex Cathedra* ab aliis, *Cogitate*, inquit, *me eſſe Pontificem:* tum è Sede ſurgens, *jam*, inquit, *ſum fallibilis, quia non loquor ex Cathedra, ſed ſtans*, tum collocans ſe in eminentiori & brachiali Sede, *ecce*, inquit, *jam loquor ex Cathedra, ergo ſum infallibilis, & quidquid dixero, firma fide tenendum.*

Confratres mei, diſcere vos oportet, ſi ignoretis; ignaros docere, ſi ſciatis, definitionem dici è Cathedra, non à ſitu corporis, loco, aut qualitate Sedis; ſed à qualitate authoritatis: tunc videlicet cum intendit docere & docet Univerſalem Eccleſiam v. g. deciſioni quæſtionis præmittit, *ad omnes Epiſcopos*, vel *ad omnes Chriſti fideles.* Exempla plurima ſubminiſtrant vobis ipſi Conciliorum Tomi, & Pontificum Epiſtolæ, in illis inſertæ. Item ſi ſuper eò quod decîdit, *profeſſionem fidei, aut ſubſcriptionem exigat, vel exigi per Epiſcopos jubeat ab iis qui eſſent de contraria opinione ſuſpecti:* ſi id quod decîdit, declaret *eſſe doctrinam Catholicam*; ſi contrariam declaret *hæreticam.* Si declaret ſe non tantum permittere, ut ita credatur; ſed *ita credi debere, doceriq́ decernat.* Plenius in Opuſculo ſequenti, Deo dante, id oſtendam adverſùs Anonymorum veſtrorum, & intra ſinum Eccleſiæ latitantium Schiſmaticorum, Sophiſmata.

Hic Opuſculum finio, & tantum quæro,

CONSULTATIO ULTIMA.

Utrum in Codicibus libertatis Eccleſiarum veſtrarum non rectè etiam inſcribentur ſequentia Capitularia, & addantur illis octo, quæ ſunt relata Conſultatione decima.

CONfratres mei exhibui vobis in Conſultatione X. octo Capitularia inſignis libertatis, quam per *Declarationem* veſtram acquiſiviſtis Eccleſiis Gallicanis. Si in illa perſeveretis, poteritis veſtris Codicibus inſcribere ſequentia,

Capitulare nonum.

Licet nobis ſequi opinionem minùs tutam relicta tutiori, etiam in caſu, quo eſſet grave erroris aut peccati periculum in neglectu tutioris, nullum verò ex parte altera. Non curamus quid 2. Martii 1679. decreverit Innocentius XI. ſuper Propoſitione 2. & 3. inter 65.

Hujus Capitularis veritatem oſtendet ſequens Capitulare.

Decimum.

Poſſumus in graviſſimis Fidei & Religionis materiis, quales ſunt illæ, quæ continentur in tota noſtra Declaratione *procedere & definire inconſulta S. Sede: quamvis majores noſtri relati Conſultatione I. conſuluerint etiam in minoribus, & ſe debere conſulere cenſuerint.*

Undecimum.

Et conſequenter ſi licuit nobis, ſeu authoribus Declarationis relinquere magis tutum, ſeu non conſulere S. Sedem, licebit nobis in quibuſq; aliis minoribus ſequi minus tutum.

Duodecimum.

Nec timèmus illa mala, quæ evenerunt illis, qui in materia Religionis & Fidei authoritatem S. Sedis impugnarunt, quorum aliqua referuntur Conſultatione II. quia ſunt tantum exempla, non regula.

Decimum-tertium.

Neque majorum noſtrorum, licet Sanctorum, volumus imitari facta relata dicta Conſultatione I.

Decimum-quartum.

Non refert etiam quod plurimi tam in Diſquiſitione Artic. XI. quam alii relati in Conſultatione XIV. cenſeant oppoſitum ejus quod declaravimus.

Decimum-quintum.

Poſſumus jura & juriſdictionem Sedium Epiſcopalium alienare aut abjicere, vel abjectioni aut alienationi ſubſcribere, abſque periculo cenſurarum p[illegible] [illegible]illarum.

Con-

Conferte Articulum 1. veſtræ *Declarationis* cum Conſultatione 5.6.7.9.10. & Conſultatione 18. n.209.

Decimum-ſextum.

Et conſequenter licet Religio ſubverteretur per aliquos Principes, Barones Domicellos habentes ſubditos, non poſſumus per excommunicationis pœnam impedire quominus præfati ſubditi illis obedientiam & fidelitatem præſtent: quantumvis huc uſque aliter uſi fuerint Epiſcopi Galliæ, & Chriſtus in Evangelio dixerit: Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Videte Conſultationem 8. 9. & 11. & conferte cum veſtra *Declaratione.*

Decimum-ſeptimum.

Non curamus etiam an ex generalitate Doctrinæ noſtræ ſit periculum ne multæ Sedes Epiſcopales Galliæ priventur jure directi Dominii in feuda ſubalterna. Vide Conſultationem 10.

Decimum-octavum.

Nec terret nos periculum excommunicationis inflictæ eis, qui rerum Eccleſiaſticarum alienationi, extra caſus à Canonibus exceptos, ſubſcribunt, (Videte Conſultationem 12. n. 106. 107.) *quia opinio noſtra foras pellit timorem.*

Decimum-nonum.

Vnde nec volumus petere abſolutionem etiam ad cautelam, quamvis ſit tutius, & Canones præſcribant. Dicta conſultatione 12. n. 107. uſque ad finem.

Vigeſimum.

Et quidquid de authoritate Sanctæ Sedis cenſuerint ante nos Epiſcopi & alii Doctores Galliæ, item alii relati in conſultatione 14. *nos per noſtram Declarationem ſatis expreſſimus non eſſe illorum habendam rationem.*

Vigeſimum-primum.

Inhæremus etiam interpretationi Decretorum ſeſſ. 4. *&* 5. *Concilii Conſtantienſis data à Concilio Baſileenſi; non obſtante condemnatione dictæ interpretationis facta à Conciliis generalibus Florentino & Lateranenſi ſub Leone X. De quibus agit Conſultatio* 15. *&* 16.

Vigeſimum-ſecundum.

Nec curamus Excommunicationem de qua in dictis Conciliis Florentino & Lateranenſi: Quia quo-ad hoc iſtas Conciliorum partes non recipimus.

Vigeſimum-tertium.

Sicuti nec recipimus illas partes Concilii Conſtantienſis & Baſileenſis, quæ in res temporales Principum videntur Eccleſiæ tribuere

Aliquam indirectam juriſdictionem : Sed recipimus illa Decreta, quæ Concliis ſubjiciunt Pontificem, & in eò ſenſu quo Patres Baſileenſes illa fuerunt interpratati. Conferte Articulum 2. veſtræ Declarationis cum Conſultatione 3. 15. & 17.

Vigeſimum-quartum.

Non curamus etiam quod Baſileenſes facti pœnituerit, congregationem diſſolverint, & Sanctæ Sedi fuerint reconciliati. (Videte conſultationem 16.) *Quia ſpeciales ſunt libertates & ſtatuta Eccleſiæ Gallicanæ, quæ recenter parturivimus.*

Vigeſimum-quintum.

Si deinceps ſuperveniant quæſtiones in materiis Fidei & Religionis, liberum erit nobis ſentire quod voluerimus, nec unquam poterimus certo ſcire quid tenendum ſit: Quia non ſumus inter illos Fratres de quibus dixit Petro & in Petro dixit Succeſſoribus ejus Chriſtus, Et tu aliquando converſus confirma Fratres tuos.

Vigeſimum-ſextum.

Non enim agnoſcimus judicium Sanctæ Sedis de prædictis quæſtionibus eſſe irreformabile, niſi acceſſerit Eccleſiæ conſenſus. At verò obtinere Authenticum & indubitatum teſtimonium de conſenſu omnium Epiſcoporum totius Orbis Chriſtiani eſt pene impoſſibile, aut mora longiſſima, & ſemper manebit quæſtio facti utrum teſtimonium hujus & illius Epiſcopi in Indiis aut aliis remotiſſimis partibus exiſtentis, ſit authenticum. Congregatio vero Concilii generalis eſt maximi moliminis, ac incertum eſt, an adhuc congregari poterit, appropinquantibus extremis Eccleſiæ turbulentis temporibus.

Vigeſimum-ſeptimum.

Hoc præterea habemus præclara libertatis ſpecimen, quod poſſimus omnes Eccleſiaſticos totius Galliæ obligare, ut ſentiant, & ſi Profeſſores ſint, doceant contra propriam conſcientiam, hoc eſt ut credant, & doceant quidquid in noſtra Declaratione continetur, licet non dubitent aliqua eſſe falſa.

Vigeſimum-octavum.

Noſq; habere illam libertatem oſtendimus per clauſulam finalem noſtræ Declarationis, & recurſum ad brachium ſæculare pro infligendis etiam pœnis in contravenientes.

Spero nihilominus, Confratres mei, vos aut veſtrum aliquos imitaturos Auguſtinum, cujus eſtis Diſcipuli, & humiliter retractaturos ea, in quibus erraveritis. Quod ſi imitari non lubet, & vanus metus alicujus dedecóris deterreat, iterum dico, *Væ vobis in valle Ioſaphat.*

FINIS.

ANT 1.316.534